NICOLAI BACCETII FLORENTINI


Ex Ordine Cistercienſi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ LIBRI VII.

Hanc Notis, variis Obſervationibus, & Præfatione illuſtravit, necnon à temporis ludibriis vindicavit Editor

FRATER MALACHIAS D'INGUIMBERT
CARPENTORACTENSIS

Ejuſdem Ordinis Monachus, Sac. Theol. Doctor, MAGNI HETRURIÆ DUCIS Theologus, necnon primùm in Univerſitate Piſanâ, tùm in Lyceo Florentino publicus Theologiæ Profeſſor.





ROMÆ,
Ex Typographiâ Rocchi Bernabò, MDCCXXIV.
SUPERIORUM PERMISSU.

Sanctissimo Domino Nostro

INNOCENTIO XIII.

PONTIFICI MAXIMO.

F. MALACHIAS D'INGUIMBERT
Perennem, & continuatam Felicitatem.



ISTORIAM Septimianam Domni Nicolai Baccetii in lucem proferens, BEATISSIME PATER, à Religiosi Viri mentis sensibus me recedere non arbitror, illam SANCTITATI TUÆ consecrando. Nam si Vir, quem in primis eruditum Græcia mirata est, ac suspexit, opera sua inscribenda non censebat, nisi ei, qui ta- Archimedes.

lium rerum intelligens, ac peritus fuisset; cuinam ad res omnes sapiens Baccetius inscriptum voluisset Opus hoc suum potiùs, quàm tibi, qui ingenium illustre altioribus studiis, præsertìm Historiæ vitæ magistræ, juvenis admodùm dedisti: quò firmior adversùs fortuita Rempublicam capesseres?

Sed si hæc una Baccetium causa posset impellere, ut honori, ac meritis SANCTITATIS TUÆ Opus dedicaret, BEATISSIME PATER; quot, & quanta mihi occurrunt incitamenta, ad ea, quæ attexui, augustissimi nominis tui, virtutisque perpetuâ constantiâ roboratæ submissiùs tutelæ commendanda! Ut enim de iis sileam, quæ abundantissimè suggererent ortus in Pontificio solo, & cooptatio in Cisterciensem familiam à SANCTITATE TUA, & ab agnatis Pontificibus, quorum placita studiosè colis, exquisitis beneficiis ornatam. Quippe quæ mihi necess-

necessariæ consecrationis causæ cum plurimis sunt communes. Una, quam mihi præcipuam puto, cuique maximè locum dedi, inevitabilis ratio fuit SANCTITATI TUÆ Operis nuncupandi. Quòd nimirùm peculiarem in modum me tibi obstrictum debeam demonstrare ob adhibitam ardentissimam sollicitudinem in vindicandis, ac roborandis Decessoris tui, cui addictus sum memoriâ beneficiorum sempiternâ, æquissimis Constitutionibus, in quibus momenta erant maxima ad sacrosanctum Christianæ pietatis, ejusdemque fidei Catholicæ depositum robustâ mole solidandum. Utpotè cùm res eò tandem perducta sit, ut utilissimo, brevissimoque bonarum, malarumque rerum utens delectu, cogitare quid aut nolueris sub alio Principe, aut volueris; ac sensus induens, aptansque tibi Innocentii III. quod ille aliorsùm protulerat, tu ad propositum nostrum accommodatissimè, de-

De translat. Episcop. cap. quando.

declaraveris, non hominem, ſed Deum id ſolvere, quod Summus Pontifex non humanâ, ſed Divinâ autoritate diſſolveret. Quem in modum, evaneſcente falſitate, luce veritatis obortâ, extremis hiſce Reipublicæ Chriſtianæ temporibus mirabiliter renovatam perſpeximus, quam celebrabat Bernardus, rem plenam æquitate, & laude dignam, ut de mendacio nemo lucretur, præſertìm apud ſanctam, & ſummam Sedem.

Epiſt. 18. quæ eſt ad Innocent. II. pro Alberone Archiepiſcopo Trevirenſi.

Neſcio, an mirum, & ingratum id iis acciderit, qui Eccleſiam Romanam vigorem ſuum tam profanâ facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis, everſâ fidei majeſtate, diſſolvere voluiſſent. At tibi promitto, in meque recipio, BEATISSIME PATER, viris rectè ſentientibus, & ſemel ſuper Petram ſolidâ ſtabilitate fundatis valde probatam fuiſſe ſummæ ſapientiæ, ac gravitatis pleniſſimam agendi rationem, quâ luculentiſſimè demonſtra-

bas

bas, te perspexisse, & penitùs introspexisse Divinæ veritatis altitudinem, quam Cyprianus ad unum è potissimis Decessoribus tuis scribens sapienter expromsit.

Epist. edition. Oxoniens. 59. ad Pam. num. Epist. 55. ad Erasm. lib. 1. Epist. 3. quæ est ad Cornelium Romanū Pontificem.

Sed si certatìm omnes verè Catholici hæc comprobârunt, BEATISSIME PATER; quam mihi fuisse mentem existimas, quem omnia tua delectant? Utpote cui perspectum erat, & exploratum, te nec degenerem, nec minorem esse posse, quem domesticis exemplis virtutis, eruditionis, ac fidei provocabat Familiæ dignitas, & generosa nobilitas? Quamquam quid est cur intempestivè Familiæ dignitatem, ac generosam nobilitatem commemorem Viro Summo, qui, pro nativâ morum modestiâ, à teneris annis Doctores Sapientiæ secutus est, qui sola bona, quæ honesta, mala tantùm, quæ turpia; potentiam, nobilitatem, ceteraque extra animum neque bonis, neque malis an-

Tacit. lib. hist. 4. loquens de Helvidio Prisco.

nu-

numerant: seque semper placidum, inturbidum, nullius repentini honoris, adeò non supremi Principatûs appetentem exhibuit; ut parum effugeret, ne dignus crederetur? Hinc vel etiam necessariò prædicanda, quia omnium sermonibus celebrata, alto involvam, obruamque silentio; ne fortè importuna narrare contingat tibi, cui egregiis facinoribus sueto, inania fœtent verba: cui unâ in virtute laude positâ, satis est.

Idem lib. hist. loquens de Bleso.

Eminere inter illustres Viros,
Consulere Patriæ; parcere afflictis: fera
Cæde abstinere; tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, seculo pacem tuo.

Præclarè quidem. Verumenimverò, ut optimè visum est Sapientibus:

Hæc summa virtus est; petitur hac Cœlum via.

PRÆ-



PRÆFATIO
FRATRIS MALACHIÆ D'INGUIMBERT
Historiæ Septimianæ Editoris.



STILUM non sumere, & nullum planè librum posthàc divulgare jam olìm statueram; consiliique mei rationem omnibus æquis rerum æstimatoribus probandam iri confidebam, iis præsertìm, qui quidvis perpeti mallent, quàm æquo animo in dies ingravescens videre malum, de quo rectissimè dictum est:

tenet insanabile multos · *Juvenalis Sat.7.*

Scribendi Cacoëthes.

In eâ mente pertinacissimè diù perstiti. Ex eo enim tempore, quo Romæ, & Parisiis lucubratiunculas quasdam meas edidi; eam, quam in scribendo nonnulli gloriam aucupantur, ego in non scribendo studiosissimè quæsivi: ac diutiùs in eâdem perstitissem. Non jam quòd vel minimùm quidem caperatâ fronte Catones timeam, qui me

b altum

altum ſtertere, cucurbitasve pingere mallent, quàm exilis ingenii anguſtam mediocritatem ad utilitatem quandam adducere; aut quòd me terreant vitilitigatores, quorum ſeges in hoc ſeculo denſa eſt, homines, ut Plinius ait, ad venena nati, qui nullum aliud abominati ſpiritûs præmium noverunt, quàm odiſſe omnia. Sed quòd, præter allatam initio cauſam, mihi metuendum ſemper arbitratus fuerim, quod ſibi quondam metuebat Vir eruditus, nimirùm, ne juventutem abſtraherem à lectione graviorum autorum, quos per Dei gratiam habemus: & ne miſeris typographis imponeretur, qui ſæpè magnos ſumtus impendunt libris nunquàm, vel tardè admodùm diſtrahendis. Quæ cùm ita eſſent; Viris mihi multo honore colendis, ac ſuſpiciendis, quorum vel imperia detrectare, vel poſtulata denegare nec poſſum, nec debeo; quibuſque Præfectorum meorum mens perſpecta erat, viſum eſt, me ab officio diſceſſurum, ſi ab alienis, aut propriis ſcriptis emittendis obſtinatiùs abſtinerem. Ego, cujus hæc optio erat, utram harum conditionem vellem accipere; non equidem potiorem, ſed minùs moleſtam elegi: videlicèt, in alienis operibus edendis qualemcumque operam navare.

Matthias Paſor in vitâ ſuâ à ſe ſcriptâ pag.58.

Vix fidem obſtrinxeram; cum audiens, mihi primo loco emendandam, ac vulgandam propoſitam fuiſſe Reverendiſſimi Patris Domni Nicolai Baccetii Ciſtercienſis Ordinis noſtri Abbatis Hiſtoriam Septimianam: parùm abfuit, quin liberarem. Enim verò non me fugiebat, ferè ſeculum effluxiſſe, (quod rectè intelligitur ex iis, quæ operis initia ponens Autor refert) ex quo Septimianorum res geſtas mandavit ſcriptis, quibus extremam admovere manum non ſolùm non valuit; quin potiùs tot mendis infuſcatam, tot ornamentis, & adnotationibus ſpoliatam Hiſtoriam reliquit: ut, cùm tantum interceſſerit temporis intervallum, nullus ex quampluri-mis, qui illam expoliendam, ac vulgandam ſuſceperunt,

ani-

animis non conciderit. Præterea unâ operis lectione compertum mihi fuerat, quod alienis & propriis experimentis Nicolaum Baccetium præ senectute gravissimo oneri imparem didicisse perspicuum est, nempè rem arduam vetustis novitatem dare, novis autoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem: & citò lutum contrahere amnem exundantem. Hinc, ut me imminenti periculo fugâ substraherem, demandatæ provinciæ immunitatem semel, & iterùm petii; quam cum obtinere non valuissem; juvante Deo Optimo Maximo, in cujus manu sumus nos & sermones nostri, ad nodum expediendum me celeriùs accinxi.

Plinius in praef. Nat. hist.

Quintus Curtius

Rei multiplicem asperitatem non mediocris voluptas condivit. Utpotè cum inter hirtas sépes, plurimasque spinas, quas variis operis partibus intextas oculis, & manibus deprehendi, & interdùm revellere non dubitavi; elegantissimas ac suaviter fragrantes rosas passim enasci non semel observaverim. Quod quidem mihi rationes dispungenti, ad opus, à quo longè disjuncta mens erat, explendum, animos, alioquin despondendos addidit. Siquidem æstimabilia quædam, & quammaximè expurgata se se pluries exhibent in ipsis etiam nævis egregio operi interdùm inspersis, quos faciliùs culparet asperrimus censor, quàm quidquid minimi est in lepôre sermonis imitaretur; qui facillimè possunt ignosci Baccetio, cùm nihil sit omni ex parte beatum: Cùmque in opere, quod avida temporis edacitas difficillimum fecit, raròpeccasse felicissimum fuerit.

Primùm ergo cùm non ostentationi, sed fidei, veritatique, teste Plinio, componatur historia, non solùm Baccetius veritatem, cujus perpetuus in scribendo & studiosissimus cultor est, majorum potissimùm autoritate suadet: sed etiam scribendi modum simplicem, speciem falsitatis obscurantem, vafris non egentem ambagibus,

Lib. 7. Epist. 17.

Hilar.lib.contra Constantium Imperat. per se congruentem religiosissimè consectatur. Deindè cum omnium adulator, omnium hostis esse soleat, veritatisque ministros vera deceat proferre; non solùm in sententiâ de rebus, aut personis ferendâ ad assentationem eruditum se non exhibet; verùm etiam eo modo se gerit, quo palàm, & apertè demonstretur

Horat.Sat.1.lib. 2.v.62. *Uni æquus virtuti, atque ejus amicis.*

Idque optimè quidem. Ut enim gravissimè, ac sapientissimè pronunciavit vir de toto, quàm latè patet, orbe literario optimè meritus, mihique in primis suspiciendus Reverendissimus Abbas Domnus Guido Grandus Dissertationum Camaldulensium dissert. I. Scriptori, nihil timendum in assertione veritatis quibusvis imaginationibus præferendæ.

Accedit, quod summa est & miranda hominis senio planè confecti in historiâ texendâ diligentia, magnus omninò labor, varia, & penè incredibilis lectio, ac grave prorsùs in lectionis varietate judicium. Nec scio, an si per tempus, vel per gravem ætatem Baccetio licuisset eximium, ac luculentum præceptum illud exsequi: ***Nunquam tentabis, ut non perficias***; quisquam alius inter coævos ipsi, nobisve scriptores, quamvis summâ vi, ope, atque operâ eniteretur, præstantiora nobis ingenii & historiæ monimenta relinquere potuisset. Tandem qualibet datâ occasione, modestiâ penè immodicâ, moribusque planè niveis, & ab omni fuco prorsùs abhorrentibus propria, vel domesticorum infirmitates & errata Autor sincerissimè pandit: nedùm tumenti animo ad propriam, vel alienam tenuitatem celebrandam orationem inflat. Quam sanè scribendi rationem multos mirari, paucos admodùm imitari valdè doleo; cum tamen extra imitationem non sit posita: eáque vulgus scriptorum ambitionis, ac superbiæ condemnetur, qui ferè in id solùm scribere videntur, ut nomen suum posteritati commendent, & sæpissimè, etiam in mustaceo laureolam quærunt.

Ut

Ut ut hæc ſunt; quamvis ab aliorum ſcriptis edendis vehementer abhorrerem; inſpectâ tamen multiformi Septimianæ Hiſtoriæ venuſtate, quæ ſumma profectò eſſet, ſi cum nonnullis operibus conferretur, quæ in dies ab ineptis ſcriptoribus emittuntur,

ut ſint thuris, piperiſque cucullus:

Fixum tandem immotumque ſedit animo, eam divulgare, adhibitâ primùm ultimâ limâ, quæ potiſſimis operis capitibus deerat: ac poſtquàm eam luxuriem, quæ in ſummâ ubertate ineſt, ſtylo depaſcendam partim tradidiſſem.

Minimè tamen ſpondeo, me in hiſce omnibus præſtandis ità ſerviliter addictum, ut non aliqua prætererim, quæ cùm primâ fronte dubia viderentur, accuratè tamen ponderatis rectiſſima notio ſubjecta eſſe poterat: aut minora erant, quàm ut Lectori moram, aut negotium faceſſerent. Nec diſſimulare auſim, in tam perplexo opere plurima, quibus ſpongia deletilis adhibenda fortè fuiſſet, oculorum, animique aciem fugiſſe. Id unum ſanctè profiteor, me nihil partium ſtudio, aut ſuppreſſiſſe, aut permutaſſe. Peritiam, aut diligentiam meam ſubindè fortaſſis deſiderabit Lector; interim ſpero, fidem, & voluntatem eum nunquam requiſiturum. Ubicunque à recto tramite deviare contigerit; Dei, atque hominum veniam obnixè peto, paratus meliora monentibus non tantùm obſequium præſtare, ſed etiam gratias referre.

Si cui Autoris noſtri placitis addictior forſan æquo videar; cogitet, me pro Baccetio, non in Baccetium calamum arripuiſſe. Verum enim verò, ut egregiè obſervavit vir ſcientiſſimus; tutelæ quoddam genus ſuſcipit Editor: nec propriam liberat fidem, niſi Autoris ſui tueatur. Minimè mihi placet illorum induſtria, qui in nævis eorum, quibus multorum dierum, & vigiliarum opera celebritatem pepererunt, oſtentandis operam collocant, non ſine inſigni pietatis damno nimiam in aliorum ſcriptis naſutè diſtringendis religionem oſtentantes. Rectiùs illi pie-

pietatem colunt, qui verendæ gravissimorum scriptorum nuditati non tantùm tergum obvertunt; sed etiam pallium injiciunt: & errores humanitùs admissos, benignâ humanitate dissimulant, simul & amoliuntur. Quibus addidisse non pigebit, mihi semper arrisisse sapientissimum illud Quintiliani consilium aptissimè in rem nostram quadrans: modestè & circumspecto judicio de tantis Viris pronunciandum est; ne (quod plerisque accidit) damnent, quæ non intelligunt. Ac si necesse est in alteram errare partem; omnia eorum legentibus placere, quàm multa displicere maluerim. Sed hæc hactenus. Extremum illud est, ut cunctis exhibeam attentiùs inspiciendam imaginem Abbatis Nicolai Baccetii Historiæ Septimianæ Autoris, quam cùm peritissimè jam pridem expresserit eruditus Cisterciensis Abbas Eusebius Sarrinus Baccetio coævus; dum ab aliis ejus ætati supparibus scriptoribus leviora, à Sarrino præcipua lineamenta mutuari non dubitabo.

Nicolaus Baccetius Florentiæ piis admodùm, & honestis parentibus ortus vix annum attingens ætatis duodecimum, contemtis rebus omnibus fluxis, & caducis, religiosam Cisterciensium Disciplinam amplexus est. In tyrocinio tùm ponendo, cùm explendo omnibus se commendandum, & amandum exhibuit. Erat in eo animi lenitas mira, naturæque bonitas quædam, ut vix irasci posset etiam irritatus. A teneris annis Latii, Hetruscique soli musas religiosissimè, ac diligentissimè coluit, quibus maturitatem quandam assecutus, posthabitis; Philosophicis, ac Theologicis studiis Romæ operam unicè navavit. Cum verò iis satis superque imbutus esset; ad humaniores literas, dum per otium licebat, animum appellere constituit: in quibus quantùm ipse profecerit, excultissimi, atque ad perfectam eloquentiam efflorescentis ingenii literaria monimenta continuò testata sunt, ac etiam nunc testantur. Improbi, assiduique laboris amantissimum,

mum, inaniſque otii impatientiſſimum ad extremam uſque ſenectutem ſe prodere non deſtitit. Cum nemine unquam ſimultatem geſſit; rerum alienarum minimè curioſus, minimè ſuſpicax: ſed antiquâ, non tamen ſtultâ ſimplicitate præditus.

Sub provectam ætatem ob eximia in totum, quàm latè patet, orbem literarium, Ordinemque Ciſtercienſem merita, in Abbatum numerum cooptatus eſt. Dignitatis autem non quæſitæ, ſed ſpontè à Superioribus collatæ inſignia, honores, munia, omniaque præter nudum nomen generoſiſſimè floccipendit. Hæc autem religioſa operandi ratio pauciores forsàn imitatores inveniet, quàm ſingularis in ſcribendo moderatio, cujus ſuprà mentionem habui. Cùm eo pacto curarum omnium expers eſſet; variis, iiſque reconditioris eruditionis luculentiſſimiſque poſteritatem lucubrationibus ditavit. Libris ſeptem, quos emittimus, omnem Septimianarum rerum memoriam complexus eſt. Concinnè, & eleganter ſcripſit de jure hiſtorico, necnon de bello Semifontano. Cenſuras literarias, & elogia decem potiſſimorum ſcriptorum, qui in Italiâ centum annorum ſpatio latinæ eloquentiæ laude floruerunt, mirum in modum adornavit. Parænesim ad priſtinum decorem Monaſticum compoſuit. Severum Monachum adversùs Thomam Porcachium defendit. Orationes, Academicaſque lectiones plurimas, aliaſque lucubratiunculas tùm ſacrâ, cùm profanâ eruditione refertiſſimas divulgavit. Johannis Barclaii Argenidem primus omnium Hetruſcè reddidit. Univerſam Hiſtoriam Florentinam decem libris abſolvere meditabatur; ſed multorum dierum, maximique laboris opus, quod vehementer eruditi omnes expetebant, politiùs limare non potuit, nimiâ præpeditus importunitate amicorum, quibus in diverſis Operibus edendis ſe præbuit adjutorem. Et quidem ab eo quamplurimi Orationes, nuncupatorias epiſtolas, præfationes, aliaque propriis operibus adne-

adnectenda, adeóque proprio nomine vulganda pluries obtinuerunt. Cùm ipse quidquid à Domino gratis acceperat, gratis daret; sibique peculiarem laudem in alios libenti animo transmoveret.. Cibi, potúsque ad prodigium usque temperans, nedùm abstinentissimus, nullo fermè gravi morbo conflictatus est; iis tantùm demtis infirmitatibus, quæ sedentarios assiduo labori mentis addictos necessariò comitantur. Sincerissimis & ad amicitiam appositis moribus, summâ comitate, miráque festivitate conjugatas consuetudines fovebat: adeò ut non minùs gratiis, quàm musis natus esse videretur.

Hæc cùm de mente Baccetii leviter perstrinxerimus; audiamus Eusebium Sarrinum ejusdem instituti professione, eorumdemque studiorum cultu Baccetio conjunctissimum de ejus corpore sic loquentem: *Fuit Nicolaus* (Baccetius) *staturâ brevi, sed aptâ membrorum compositione. Mirari tamen quisquam poterit, in gracili corpusculo ingentem animum substitisse. Blanda illi facies, decoràque canitie veneranda; frons lata, ac læta, teres nasus, protensæ aliquantulùm aures, exilia labra, quæ os decenter concluderent: oculi adeò vegeti, ut sine specillis, quibus nec planè senex usus est unquàm, minutissimas literas securè perlegeret, & assiduè scriberet. Septuagesimo tertio vitæ anno torminibus correptus interiit. Sed duplicem adeptus est vitam, in Cœlis unam, in scriptis aliam, quibus erit omni marmore, omni ære, omni monumento perennior.*

His addendum censeo, quòd cùm Opus Florentiæ approbatum fuerit, antequàm Romæ approbaretur; utramque approbationem simul duxi præponendam: ut indè historicæ Baccetii narrationi majus autoritatis pondus accederet.

NI-

NICOLAI BACCETII
Ex Ordine Cisterciensi Abbatis

In Septimianam Historiam ad Revmum D. FERDINANDUM UGHELLUM Septimi Abbatem, Comitemque Stalis, ac Sermi Principis Caroli Card. Medicæi Theologum.

PRÆFATIO.

S*I qui sunt*, FERDINANDE *Ughelle Opt. Abbas*; *qui in clarissimarum gentium perscribendâ historiâ cùm prudentiæ, tùm eloquentiæ laudem apud doctos homines tulerint non mediocrem, ii, ut semper mihi visi sunt, qui à mortalibus ad commendatioris vitæ usum avidissimè legerentur; sic illorum consilium haùd quaquàm improbare possum, quorum in alicujus splendidæ familiæ rebus gestis narrandis, prætermissis iis, vel jejunè tactis, quæ ad publicam rem aliquo modo spectare videntur, omnis desudat industria. Utrisque enim magnum Reipublicæ commodum propositum esse intelligo. Illi enim Lectorem suum prudentiorem faciunt, unique politicæ institutioni ideò student impensiùs, ut inde præcepta rectæ administrationis exhauriantur, unde publicæ rei successus in dies evadant feliciores. Isti domesticorum exemplorum congerie unius gentis alumnos propiùs urgent, ut salutares Cives publico esse possint, ac velint. Ut illi diviniùs, ne isti, ut ego quidem arbitror, opportuniùs. Siquidem si in illis, quæ aliena censentur, tanti momenti inest ad virtutem; quantò magis domesticis exemplis, ut meliora spondeamus, impellemur? Hæc inter tantum discriminis intercedit, quantum inter eminùs jaculari, & cominùs ad scopum dirigere ictus, interesse videtur. Illa ergò eminùs, hæc cominùs stimulant, ac pungunt. Perlecta, auditaque illa fortasse delectant, hæc verò ad veræ gloriæ cupiditatem acriùs movent. Indicant tantùm illa, hæc ad virtutis iter certissima impressa vestigia sunt. Illa ultrò sequimur, verecundiâ ad hæc vel inviti compellimur. Illa si clausis oculis prætereamus, minimum noxæ contrahimus; ista si contemnamus, parricidii crimine propemodùm nos obstringimus, quòd turpiter facti degeneres, majorum gloriosè facta, vitiorum mucrone jugulemus. Et quidem antequam priscorum stylus in eas*

 scri-

cribendi angustias conjiceretur; ipsa pudoris, curaque famæ mortales docuit

pictos ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos
tabulâ jactare capaci
Fumosos equitum cum Dictatore Magistros.

Ut eo quasi incitamento, & noxium, turpeque otium excuteretur, & ad avitam gloriam æmulandam exacueretur generosa posteritas. Quid? quod illæ nationes, quibus olim ultra Ararim flumen in Galliis immanis barbaries ità omnem excusserat humanitatis sensum, ut ab se etiam usum scribendi ea, quæ, vel mente complecterentur, vel fortia facta Patrum ingererent, ablegarent; non usque adeò feræ visæ sunt, ut non aliquando, calente convivio, ad citharam, & lyram res gestas Majorum cecinerint, quò læta juventus leniùs militarem disciplinam imbiberet, &, vel deinceps ad belli gloriam Patrum impressa vestigia insisteret, vel etiam facta audacior ultrà progrederetur? Et istis quidem sæpiùs intèr scyphos decantata bellica Majorum gloria, tantum attulit animi, ut transgressi non semel perpetuo penè gelu rigentes Alpes, ausi sint Orbis terrarum imperio minitari, captàque dominâ rerum Urbe, de ipsis gentium omnium triumphare victoribus. Illos autem, quibus humanior sensus erat, adeò pupugerũt avitæ propendentes imagines, ut non priùs deinde quieverint, quàm circumlatis victricibus armis,

Quà mare, quà tellus, quà sidus currit utrumque,

omnia perdomuerint. In quibus Scipio ille Africanus, ætate quidem junior, rebus autem gestis nulli secundus, quòd sustulisset Numantiam, Carthaginem delevisset, suorum imaginibus acceptum referre solebat, quæ civili otio penè torpentem ad cursum illum gloriosi laboris, quasi adbibitis calcaribus impulissent. Itaque jam minùs miror sapientem illum in divinis æquè, ac in humanis non inconsultum dixisse, nil sibi aliud in nobilitate appetendum videri, nisi quòd nobiles quædam quasi necessitas urgeat, ne ab antiquorum probitate degenerent. Quam ipsam necessitatem, cùm plerùmque mortalibus indicent vel ad tibiam heroica modulata carmina, vel reliquiæ temporum laceræ, fumoque squallentes imagines; quos aculeos non adbibeant monumenta scriptorum, quæ supra injuriam temporis perennant, & vel nolentes suavitate dictionis alliciunt, ut in ipsos in se erectos stimulos incurrant, quibus ad Majorum virtutem cogantur?

tur? Præstant hoc ipsum egregiè, ut non semel dico; sivè qui præpotentium populorum, sivè qui gentis suæ domesticam literis commendant historiam; quorum cum studio capiar, tùm verò maximè, ut illud ipsum hoc tempore bono periculo experirer quatuor non minùs de rebus nostris silentio preterita secula me impulêre. Tametsi enim silentium illud priscorum Monachorum venerabar, ut sanctum; quippe quod ex uno illo aureo præcepto (Ama nesciri) *profectum esse intelligebam; cum tamen succurrebat animo quid jacturæ fieret ex celatâ virtute, quæ ut cecinit ille:*

Paulùm sepultæ distat inertiæ

illorum instituto libentiùs me adjungebam, qui ne minima quidem intercidere patiuntur, ne illustrium virorum meritis obliviosa taciturnitas obstet, nève domesticis exemplis destituatur sequtura posteritas. Itaque suppressis, dilatisque ad tempus, quæ in sacris literis jam diù moliebar, repentè factus Historicus, admovi stylum, distinxi tempora, rerum contuli status, probos cum laude protuli, quosque nobiliores extulissent aliquando artes, non sum passus mihi indictos abire. Quâ in re, fateor, non semel sum quasi cum Gordiano nodo luctatus. Vel enim pleraque obliviosum funeraverat silentium, vel si qua eâ de re levia, incultaque manaverant scripta, ità vaecors incuria male habuerat, ut ad id, quod conabar nulli jam usui esse possent. Despondissem itaque animum, nisi tuus, FERDINANDE *Ughelle, in legendo, inveniendoque labor me erexissent. Itaque dum attentissimè legis, ego properanter dictando Amanuensem fatigo, qui ad hanc diem in oblivionis densissimis tenebris jacuerant, vindice calamo repente evaserunt ad lucem. Constabit igitur operæ fructus, si ex hâc verâ scenâ nostri velint sibi exempla vivendi desumere. Habet namque historica scriptio & jucundum invitamentum ad virtutem, & morum lenissimam correctionem. Siquidem non sine voluptate in nos derivamus, quæ in aliis miramur, atque suspicimus, nec sine horrore defugimus, quæ ceteris inusserunt notas infamiæ sempiternæ. Ceterùm præclarè gestorum nostri cœtus te potissimum spectatorem ascivi,* FERDINANDE *Ughelle peritum non modò, sed etiam scriptorem Historiæ, ut idem ipse diuturnitate temporis intermortuis penè virtutibus lumen afferres, qui nos superstites, atque ad eas utcùmque conantes hoc tempore, & consilio tuo plurimùm juvas, & sapientissimè moderaris. Vale, & nostrorum hominum cœtui longùm vive.*

AUTOR
Candido Cisterciensi Lectori.

VIx opus absolveram (candide Lector) cum me pœnituit exantlati laboris. Siquidem intelligebam, quàm infeliciter hanc scribendæ Historiæ orbitam percurrissem. Sed tamen cùm multa occurrerent, quæ meos viderentur tibi posse excusare conatus; haud statim devovi, æternáque oblivione damnavi, quæ scripseram. Passus sum enim à nostris excipi calamo cultiori, ut in angulo nostræ Bibliothecæ seposita, aliquem posterorum præstolarentur, cujus operâ, studioque defœcatiora aliquando lucem aspicerent. Et primùm quidem miraberis, meque fortasse ridebis, quod Livianam amplitudinem, utcùnque secutus angustissimas res, ac propemodum despicabiles protractiori stylo parêre coëgerim. Sed æquiori animo patiar sannam, si dicar magis laxiores calceos breviori pedi accommodasse, quàm suâ res sacras privasse majestate. Illud iterùm fortasse incusabis, me, dum profiteor Historicum, ad forense dicendi genus, incautâ, inconsultáque declinatione flexisse. Frequentiùs enim, modò obliquè, modò directè advoco concionem, consulo, delibero, expedio consilia, gerendæ rei trepidas injicio curas, legationes adorno, deliberaturis modum statuo, præfinio leges, rem in utramque partem verso dicendo, ut discusſâ dubietatis caligine, quid facto opus sit, liquidiùs discernatur. Sed si animadvertis; non me quodlibet genus rerum pasſim, & ubique ad concionandum rapit. Tempus intueor, personarum discrimen perpendo, attendo circumstantias, ut quantùm per me liceat decorè quemque sua munera deceant. Etenim cum tempus urget, resque extemporale consilium postulat, oratio nuda incedit,

dit, & quasi è causæ visceribus repente eruta, omni spretà ingenii laude, rem omnem simpliciter agit. Cum verò circumstantiæ causam graviorem, ancipitisque consultationis effecerint, tunc delectata subselliis pleniori exultat consessu, ut omnium acclamatione videatur vicisse. Neque interim hoc agens, hominibus claustro conclusis alienam personam impono, remque vanissimè comminiscor ad ornatum Historiæ. Quippe nostris hominibus, is mos agendi, ut nil magni, vel parvi, vel aliquando aggressi sint, vel hoc tempore aggrediantur, quin priùs unde res agatur ad minorum gentium Monachos concionentur. Criminabuntur fortasse alii, quòd otiosus plerùnque Historicus, in Cœnobiorum, Tabularum, Phrigii operis, demùm unius literulæ, quam cum parergis fudisset comtior calamus descriptione diutiùs hæream. Hìc, fateor, nonnihil suspensus hæreo, neque satis me excusatè expedio, nisi fortè vel excellentia operis quandoque me culpâ liberet, quæ quidvis aliud profitentem suâ pulchritudine ad se traxerit, vel legentium fastidium, qui ut plurimùm nauseant ad severiora continenter enarrata, nisi ex intervallo hujusmodi descriptionum amœnitate levetur. Non probabunt denique plerique quod ejusdem generis plura ubìque, & passìm videar commemorare. Sed quid in meâ Historiâ, nisi ad puriores mores, reformationes, veterum Cœnobiorum receptiones, atque ex unius Instituti disciplinâ simillimæ profectæ virtutes? Denique si alicubi hiulca, sterilisque Septimiana apparebit Historia, nisi omninò mucosis naribus fueris, (optime Lector) subodoraberis plerùmque me laborasse inopiâ, quam incuriosa præterita secula invexêre. Hæc itaque tibi, aliisque probatum iri confido, qui nolint ex unâ invidiâ, maledicentiâ saginari.

Vale, lege, & lætare.

NI-

NICOLAI ADJUNCTII
In publico Pisano Studio Matheseos Professoris
DE AUTORE CARMEN.

PUrior electro manans facundia linguæ,
Sermonisque latex, qui sine labe fluit,
Comprobat innocuæ incorrupta sacraria mentis
Quæ non sunt maculâ vel labefacta levi.
Rivulus illimi nisi præterlabitur alveo
Non pellucidulis vitrens errat aquis.
Sic mens fœda negat nisi turpia dicere; pura
Impurum pectus promere verba nequit.
Prisca reviviscit per te modò forma loquendi,
Et mores priscos integritate refers.
Hoc demùm est sapere, ut verbis bene congrua facta
Consent, nec lingua à pectore dissideat.
Tu rarum hoc specimen præfers instructus utroque
Qui vitâ, & verbo pectus, & ora doces.

EUSEBII SARRINII
Ex Ordine Cisterciensi Abbatis.
DE EODEM EXASTICON.

SI decus, aut specimen priscæ virtutis anhelas,
Ac monumenta Patrum, quos imiteris aves;
Septimiana lubens NICOLAI clara labore
Gesta sub eloquii fonte coacta legas.
Hæc relegas; in te recti geminabitur ardor.
Horum quippè tibi gloria calcar erit.

Supra Januam Clausuræ Descriptio.

ANno Domini 1236. Sanctissimus D. N. Gregorius IX. dedit hoc Monasterium de Septimo Ordini Cisterciensi, cùm esset liberum & exemptum ab omni Regio patronatu, quod in plenâ libertate à dicto Ordine pacificè possidetur.

Ante Januam Ecclesiæ Descriptio infrascriptæ Feminæ.

Anno 1096. Dominicæ Incarnationis, septimo Kalendas Maii
Cilla Comitissa cujus corpus hic requiescit in pace

EPITAPHIUM.

GAudia dicta fui generoso Stegmate ducta,
Atque viri clari morte diù tabida.
Gloria, forma, decus, congestio divitiarum,
Nobilitas carnis quàm citò morte fugis!
Corpus terra voret, sed Spiritus ibit ad Astra,
Evectus meritis, ac geniti studiis.
Te nimium posco, vel tantum dicere, Lector.
Junge Deus Sanctis quæso tuam famulam.

AP-

APPROBATIONES.

PRo demandatione mihi factâ à Reverendiffimo P. Abbate D.D. Laurentio Citerni Generali Præside noftræ Congregationis S. Bernardi in Italiâ Ordinis Cifterciens. ego infrafcriptus perlegi librum, cui eft Titulus: *Nicolai Baccetii Florentini ex Ordine Cifterciensi Abbatis, Septimianæ Hiftoriæ Libri VII.* in quo nihil inveni Sacræ Scripturæ, Sacrorumve Canonum, aut Conciliorum decretis repugnans. Idcircò ipfam in lucem edi poffe non dubito. In quorum fidem hic me fubfcripfi &c.

Florentiæ quarto Nonas Novembris M. DCCXXI.

D. Bernardus Barberi Ex-Præfes Generalis Abbas, & Vifitator Major, necnon Sacræ Theologiæ Magifter.

D. Laurentius Citerni Præfes Generalis, & Abbas Ciftelli &c.

D. Henricus Seravalli Secr. de mandato.

EX Commiffione Rmi P. Magiftri Vincentii de Comitibus Ord. Min. Conv. Florentiæ, ejufque Sereniffimi Dominii Inquifitoris Generalis Rmus P. Magifter Petrus Antonius Roffi Ord. Serv. B.M.V. Ex-Generalis hujus S. Officii Confultor videat hanc Hiftoriam Septimianam, cum additionibus, & referat, an Typis mandanda.

Datum in S. Officio Florentiæ hâc die 10. Decembris 1721.

Magift. Fr. B. Bernardius Ord. Min. Conv. V. Generalis S. Officii.

J. M. J.

JUffu Rmi P. Inquifitoris Generalis Florentiæ accuratè perlegi Opus, cui titulus: *Nicolai Baccetii Florentini ex Ordine Cifterciensi Abbatis Septimianæ Hiftoriæ Libri VII.* quam è tenebris in lucem eduxit, ac notis illuftravit Vir clariffimus Dominus Malachias D'Inguimbert ejufdem Ordinis Monachus, ob alia quæ edidit fcripta jamdudùm Orbi Litterario notus. Quùm autem in hoc opere nihil deprehenderim quod Orthodoxæ Fidei, ac bonis moribus adverfetur, publicâ luce dignum cenfeo.

Florentiæ è Cœnobio Divæ Annunciatæ 26. Januarii 1722. ab Incarnat.

Fr. Petrus Antonius Roffi Ordinis Servorum B. M. V. Sanctæ Romanæ Univerfalis Inquifitionis Qualificator, Sacrorum Rituum, Indicis, ac S. Officii Florentiæ Confultor &c.

Attentâ antedictâ relatione

IMPRIMATUR.

Inquifitor Generalis S. Officii Florentiæ &c.

Im-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Apostolici Palatii.

N. Episcopus Bojan. Vicesgerens.

APPROBATIONES.

JUbente Reverendissimo Sac. Palatii Apost. Magistro Gregorio Selleri, Monasterii Septimi in Hetruriâ positi, à Nicolao Baccetio Abbate Cisterciensi compositam avidissimè legi perelegantem Historiam, quam edidit, notis & præfatione auxit Vir, non minùs eximiâ pietate, quàm morum suavitate, laudis ingenio, & tùm sacrâ, cùm profanâ doctrinâ excultissimus Domnus Malachias D'Inguimbert, & ad amussim redegit. In quâ cùm nihil offenderim, quod à S. R. E. fide dissonet, seu quod bonis moribus adversetur; opus dignum censeo, quod publici juris fiat, veritatis amatoribus profuturum. Datum Romæ VII. Idus Septembris 1723.

Johannes Bouget Prior Sancti Martini de Scey, in Collegio Urbano de Propaganda Fide Linguæ Sanctæ Lector.

JESUS MARIA JOSEPH.

SEptimianam Historiam à Domno Nicolao Baccetio Cisterciensi Monacho supereminenti, & clara eloquentia jamdudum lucubratam, positam *sub modio* viderat Reverendissimus Pater Domnus Malachias D'Inguimbert Monachus Cisterciensis, qui Pietate non mediocri Clarus, Clarior Ingenii singularitate, Clarissimus Doctrina, ac Scientiarum omnium cultura maximoperè pollens, *ut luceret omnibus qui in domo sunt*, illam *ponere super Candelabrum*, satagens fuit; Doctissimis siquidem Notis eam illustravit, Præfatione mirifica auxit, ac ad suum ordinem mirum in modum redegit cum spe firma majoris incrementi, ejusdemque finis suo tempore dandi. Illam itaque (Reverendissimo P. F. Gregorio Sellari Sac. Apost. Palat. Mag. committente) magna animi jucunditate perlegens, nihil in ipsa offendi, quod aut morum integritati officiat, aut Orthodoxo Dogmati obsit; quinimò quia Reipublicæ Literariæ multum prodesse posse judico, ideò publici juris honore condecorandam esse censerem. Datum Romæ in Collegio Sanctæ Mariæ de Victoria Pridie Nonas Septembris 1723.

Fr. Leo à S. Felice Carmelita Excalceatus Sacræ Theologiæ Præ-Lector, Primus Definitor Provincialis, ac Sac. Congreg. Indicis Consultor.

IMPRIMATUR.

Fr. Gregorius Selleri Ordinis Prædicatorum Sac. Apostol. Palatii Magister.

NI-



NICOLAI BACCETII FLORENTINI

Ex Ordine Ciſtercienſi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ

LIBER PRIMUS.



QUINTO ab Urbe Florentiâ lapide inſigne Monaſterium eſt, cujus vel ipſa ædificiorum moles ſuperioribus ſeculis fuiſſe viſendum, ſatis edocere poſſit. Et ſtructuræ quidem figura quadrata eſt. Ab Oriente ſole ſe ſe prodentem è collibus Florentiam proſpectat: ab Occidente Piſas euntibus viæ militaris certiſſimum indicium eſt: à Septentrione montes cœlo propiores habet; à Meridie clementiores ei aſſurgunt colles, quibus crebra quæ inſident pulchraque ædificia quaſi ad ſpectaculum evocata, ſe ſe turritis mænibus attollentia gratulari videntur. Planicies, (niſi quà mitioribus collibus ſuperbit jucundiùs) è qua

Accurata Monaſterii Septimi deſcriptio.

è quâ consurgit, in longum fermè usque ad Tyrrhenum mare procurrit, coercentibus à lævâ, dextrâque montibus. Quæ quo explicatior; eo vicis oppidisque frequentior est. Accolæ urbi propiores, cùm urbanitate quâdam, rusticitatem admixtam habent: & ideo cum urbanatim fallunt paganicâ simplicitate obducunt fallaciam. Fecundiores glebæ, quàm dici possit. Propiùs enim inundans flumen Arnus vel ditat, aliundè præpingui advecto limo; vel funditus subrutas miserabiliter secùm vehit. Undè fit, ut pluviosæ hyemes valdè sollicitos accolas habeant. Non diù est, quod Ognanum frequentem sanè vicum pene totum diruit: elapsoque anno, is fuit MDCXXI, ita S. Columbano alteri ad Arnum vico, à nobilioribus ædificiis cœptâ ruinâ, minitatus est, ut si pergat sævire, inundetque, vix salutis suæ reliquum spei faciat. Nec aliquando Septimi Monasterio æquior fuit. Siquidem labefactatis fundamentis, quò se tota moles aquarum intenderat, Septentrionem versùs minacissimi muri miserabili sanè ruinâ cecidêre. Nec miretur quisquam, me semel & iterùm turritos Septimi appellasse muros, quòd ea ædificii ratio monasticam disciplinam, moderationemque minùs decere videatur. Florentini enim ut rerum in Hetruriâ potirentur, bella ex bellis serentes ad omnem impetum incurrentium hostium, in partem expensarum vocatis Monachis, locum ita munierant. Videbant enim in eo fornices, fulcientibus ex impolito lapide columnis, ferè in immensum excurrere; atriorumque insanam laxitatem suspiciebant, firmitatemque murorum suspectam habebant. Quæ si quando ex improviso occuparetur ab hostibus, cùm integro, latentique propè Florentiæ portas exercitu, periculoso, ancipitique marte sibi dimicandum fore arbitrabantur. Ergo anteverterunt quicquid hostiliter potuisset accidere, perantiquo ædificio prealtos, ac benè firmos muros objicien-

cientes. In quibus exſtruendis nil planè omiſſum eſt, quod vel ad ſuſtinendum, vel ad arcendum hoſtium impetum facere poſſe videretur. Siquidem quatuor murorum anguli, quatuor ſpecularum ſedes ſunt, à quibus longè latèque in ſubjectos campos patet proſpectus; quas, ut die noctuque advigilanti militi citrà omnem cœli injuriam uſui eſſent, obduxere tectis. Eminentiora verò quæque murorum, præfinitis adamuſſim ſpatiis ad baliſtarum jactum pervia ſunt. Nec ampliora loca deſunt in quibus & majora tormenta collocentur, & inde valentiùs explodantur. Supernè viſuntur artificioſi hiatus, è quibus, in ſubeuntem militem, lapidum imbres emittantur. Æratæ portæ anguſtum præbent ingreſſum; ad quas iterùm haud efficiunt aditum faciliorem intra aggeres altiùs circumſtagnantes aquæ. Denique à viâ militari, hoc eſt, à Meridie progredientibus præalta, ac minaciſſima turris fit obviam, quæ doceat omnem hoſtilem animum ponere debere, qui eò loci accedat; aut hoſtilitèr excipiendum ſi pergat minari. Hoc ergo tantum Monaſterium è nomine pagi SEPTIMUM antiqui dixere.

Non conſtat adhuc Scriptoribus temporumque peritis (ut in rebus à noſtrâ memoriâ remotis æſtimandis plerumque ſolet accidere) in cujus potiſſimùm munificentiam rejiciant tàm operoſæ molis ſtructuram. Johannes Villanus rerum Florentinarum nobilis ſcriptor, & ubi præ antiquitate mortalium non vacillet opinio, incorruptæ fidei hiſtoricus, aſſerit Hugonem Comitem hanc pietatis tuliſſe laudem: quem ſequuntur Andreas publicus Notarius civiſque Florentinus, ejuſdem in Italiam cum III. Othone adventum, res geſtas, mores, (poſtque caſtigatam luxuriem) pietatem, animique moderationem inſigni libello, prout illa rudis ætas ferebat, proſequutus eſt, in gratiam Nicolai Abbatis S. Mariæ *Quis Septimi fundator.*

Florentiæ. Viguitque ea de Comite Hugone ſententia uſque ad Danthis Aligherii, immortalis nominis poetæ tempora: cujus in Paradiſi Cant. 16. illud perhonorificum de Hugone exſtat encomium.

Ciaſchun che della bella inſegna porta
Del gran Barone, il cui nome, il cui pregio
La feſta di Tommaſo riconforta: &c.

Quem locum enarrans Chriſtophorus Landinus ſummæ gravitatis philoſophus, ac in hiſtoriâ tùm veteri, cùm recenti benè verſatus; Heroëm, cujus ſuprà meminit Danthes, illum ipſum eſſe Hugonem affirmat, qui vel ad expianda peccata, vel ob ſingularem pietatem in Deum, ſeptem Monaſteria regio planè ſumtu ædificanda mandavit. Septimi autem ædificatione, tantam à Pulciorum gente memorat collegiſſe gratiam, cujus proxima loco ditionis oppida erant, ut contractâ utrinque amicitiâ, ad communicanda cum Pulciis gentilitia inſignia Hugonem compulerit. Juvat item hanc, quæ circumfertur, opinionem, pro foribus templi Septimiani marmoreum immane ſepulchrum in quo Caſdiam, Huillamque, hanc Hugonis matrem; illam uxorem tumulari arbitrantur plerique. Tùm quaſi per manus ad noſtra hæc uſque tempora celebrior fama perducta. Inferiæ præterea à non inſulſis hominibus memori mente, gratoque animo, in iis templis ariſque quæ ab eo conſtructæ dicuntur, quotannis ſolitæ celebrari. Denique ejus rei pictura vetuſtior, Hugonis Comitis iiſdem in locis animi memoris ergò gentilitia inſignia pendentia: inſcripti lapides: atque ad æternitatem æra loquentia. Hæc, inquam, omnia adeo ſententiæ Villanii ſuffragari videntur, ut olim ſecùs ſenſiſſe, mihi planè religio eſſet. Donec à Vincentio Borghinio in ſuis poſthumis, quos de civitatis Florentiæ origine accuratè inſcripſit libris: atque à Scipione Ammirato rerum Florentinarum altero Livio, qui viventem

tem Borghinium consuluerat, ut in ferendâ eâ de re in suis historiis sententiâ quasi latentes dubiæ narrationis tænias devitaret; omnis mihi tandem error discussus est. Siquidem gratiosis diplomatibus planè convicti, quæ adhuc apud Septimianos exstant, ejurato vulgi errore, Lothario Comiti ejus fundationis gloriam, munificentiæque laudem ex fide scribendo restituêre; haud temerè, timidèque affirmantes, eam de Hugone fundatore opinionem hactenus vulgi errore in animis hominum tàm altas radices egisse. Et Borghinius quidem hæc sententiæ suæ munimenta quæsivit. Asserit enim primùm in privilegiis, quæ dum Hetruriæ præfuit, diversis Ecclesiis quàm amplissima dilargitus est Hugo, ne verbum quidem reperiri quo argui possit, septem ab illo exædificata Monasteria. Secundò, eas beneficio amicorum se vidisse scripturas, quæ & Lotharium Comitem Septimi autorem faciant, & Florentinæ Abbatiæ Huillam matrem Hugonis. Porro amici, quorum in scribendo beneficio usus Borghinius est, Monachi Cistercienses fuere, apud quos adhuc munificentissimæ donationis olim à Comite Lothario, ejusque successoribus, Cassinensibus factæ, gratiosa diplomata leguntur, in quibus princeps clarissimæ gentis Lotharius Septimi fundator arguitur: ab eoque Comes Guillelmus filius, qui Alpes Stalis, Septimi Monasterio singulari liberalitate adjunxit. Post hunc Bulgarus Comes, cujus tanta pietas fuit, tantaque à suis majoribus fundati Cœnobii cura, ut prolapsis in Septimo Cassinensibus, Johannem Gualbertum per ea tempora eximiæ sanctitatis laude florentem, correctorem, moderatoremque adhibuerit: Hujus denique filius Hugo, sive Huguccio, ut alii vocant, illustris tùm munificentiæ, tùm pietatis erga Monachos famâ fuit, qui, patentibus datis literis, quæ sui Majores Monachis dilargiti fuerant, non modò rata habuit, sed etiam mirabiliter auxit, cavitque deinceps

Lotharius Comes, Septimi fundator munificentissimus.

Sanctus Johannes Gualbertus Regularis disciplinæ in Monasterio Septimi restitutor.

ceps ne quis profanus usus distraheret, divenderetque. Igitur omnes ii, sive jacerent fundamenta, sive dono darent, donataque rata esse decernerent, ne de Hugone quidem, tanquam de loci autore, vel subobscurè illato verbulo, Septimum sui juris esse deprædicant. Ac ne quis Comitem Lotharium putet ex illo Hugone, quem Germanum faciunt, duxisse originem, ac proindè non absurdum videri, si cùm hic celeberrimi Monasterii fundamenta jecisset; illud, hæreditario jure, suæ ditionis appellaverit; (quod nos aliquando effugium commenti sumus, ut sua Villanio fides illibata maneret): nondum, ut ipsi comminiscuntur, Comes ille jus dicturus Hetruriæ fuerat in Italiam à Cæsare missus, cùm Lotharii pietas, munificentiaque, quâ Hetruscum patebat imperium, jampridem clarebat, Septimumque exstabat.

Errandi occasio. Ceterùm haud sanè vulgarem gratiam Borghinius, atque Ammiratus eo nomine à me iniissent, si vel indicassent obscurè, quî fieri potuerit, ut priscæ ætati, nec omnino somniculosæ, tàm densæ tenebræ offunderentur, offenderetque propèmodùm in meridie. At quando illis verum indicare contentis, atque in majoribus occupatis haud vacavit; nobis, qui ex professo Septimianam historiam scribere aggressi sumus, videtur incumbere, ut id utcumque præstemus. Inde enim proditâ errandi causâ, redux veritas lætiori acclamatione legentium triumphabit. Igitur haud dubium est Comitem Hugonem extitisse, non Germanum, sed nobilem Italum filium Huberti, sive Alberti, filii quondam Italiæ Regis, Hetruriam ut avitam propriamque ditionem frenasse, per summam luxuriem aliquando fuisse prolapsum: cœlitùs admonitum demutasse vitam: pietatemque profusis opibus, si Petro Damiano credimus, arisque positis excoluisse. Dum igitur hic Hugo mores castigando ad amussim divinæ legis vitam exigeret; erigeretque aliquot visenda tem-

templa, quæ numen propitiarent; interim rumor increbuit, ſeptem exædificaſſe Cœnobia, ut ſeptem letiferis ſcelerum fontibus, in quorum cœno perditiſſimè hæſerat, totidem ampliſſima munera reſponderent; abſolutique operis Septimianam molem lineam extremam fuiſſe. Aluit vero errorem, ipſum nomen Hugonis. Siquidem, aut ſub idem ferè tempus, aut certè non multo poſt, Hugo Comes è Contalbertiâ gente Bulgari filius, ac nepos Lotharii Septimum ampliſſimis opibus ornaverat, auxeratque privilegiis, itaut indè facilè fuerit vulgo, ex anxiâ plerumque curioſitate, incogitantiâ laboranti, Hetruſcum Hugonem illum, in regium hunc transfundere, ſplendidiorique autori, utpote Hetruriæ Domino regiam munificentiam aſcribere. Minimè tamen Danthis ætati hujuſmodi vulgi erratum impoſuiſſe credendum eſt. Saltem ex ſupra adductis ſenariolis quidvis potiùs colligi poſſe videtur, quàm quod vulgaris opinio vaniſſimè circumferebat. Voluit autem Danthes ibi ſummâ cum laude commemorare Hugonem, quòd perilluſtres aliquot Hetruſcas familias, ſuis gentilitiis collatis inſignibus, equeſtris ordinis fecerit. In iis autem fuere præcipui Pulcii, Nerlii, cum Comitibus Galgalandis, qui *della Bella* vocantur. Cujus occaſione loci Landinus, Villanii autoritatem ſequutus, quæ in ore jam vulgi erat, retulit fabellam: neque tamen mirum videri debet, ut Johannes Villanus falſus eſt; ſic Danthis commentatorem decipi potuiſſe. Accidit enim plerunque, ut quod vulgus deprædicaverit, ideòque ſenſim invaluerit apud omnes, quantumvis accurati, diligentiſque ſcriptoris enervet induſtriam, adeò ut ſæpiùs malint mortales placentia vulgo afferre, quàm in veritate quærendâ nimis ſuperſtitioſos videri. Jam quòd attinet ad ſepulchrum, in eo non Huilla mater Hugonis; ſed Cilla, Gaſdiaque tumulantur; quarum illam ſuſpicor Bulgari uxorem, ac matrem Thu-

ſci

ſci Hugonis: iſtam verò uxorem hujus ipſius Hugonis pronepotis Lotharii. Et Andreas quidem,cujus ſuprà meminimus, nuſquam memorat in vitâ Hugonis ejuſdem uxorem Caſdiam vocatam eſſe; (quam alii, non temnendæ auctoritatis ſcriptores Juditham appellatam fuiſſe affirmant:) tametſi adeò minuta quæque in eâ narratione religiosè perſequatur, ut anilibus fabulis haud multùm videatur abſimilis. Nec verò in Septimo ullum æs, marmor ullum inciſum, aut vetuſtior pictura cernitur, quæ ſeculo integro parem ætatem ferat. Quicquid autem ibi aut pictum, aut inſculptum Hugonem proloquitur, propiores noſtræ ætati Ciſtercienſes, qui ex eodem cum vulgo biberant amphithæto, ut beneficiorum memores, poſuere. Conſtet igitur, clariſſimum virum Lotharium Comitem, Septimum conſtituiſſe; deindè filios, illiuſque nepotes tùm opum, cùm illius virtutum hæredes peramplis fortunis auxiſſe, atque ad invidiam provexiſſe. Cujus jam, ſi Contalberti, ut vir verecundæ probitatis, atque canitiei, cum hæc noſtra ſcriptio ſpectaret ad finem, nobis probare conabatur, proſapia ſunt; illuſtri per ſe Cœnobio magnum decus acceſſerit, ut & magnitudinis ſuæ Hetruſcos cognoſcat autores, & adhuc honeſtiſſimi cives ſuperſint, quibus non ingrati Ciſtercienſes ingentes habere gratias poſſint, ac debeant. Et iis quidem autoribus Septimi initia nobilitata ſunt. Cujus etiam magnitudinem opum, arguunt eidem attributa ſplendida latifundia, quæ opulentum Dynaſtam decere poſſe videantur. Certè poſt diram illam eluvionem bellorum à Romano Imperio ad Germanos tranſlato, quæ totam Italiam devaſtarunt; poſt diverſorum ordinum, ac præpotentium in eo ſibi ſuccedentium vices; poſt tot hominum tum bonorum, cum malorum, ut tulêre ſecula, adminiſtrationem; poſt avaritiam, ac potentium rapacitatem, iis prædiis, ac juriſdictionibus nobilitatur adhùc, quas non niſi

Unde Septimi ſplendor. Latifundia.

ægris

ægris oculis, quæstui ac avaritiæ dediti homines cogantur intueri. In quo quidem immortalis memoriæ fœminæ Alalasiæ conjugis Lotharii, ac Guillelmi Comitis filii liberalitas planè enituit, qui Comitatu Stalis, ut suprà leviter attigi, Septimi Monasterium splendidè adauxêre. Cujus latitudo prædiorum ab eâ Hetruriæ parte, cui imminent Alpes usque ad Bononiensium fines protenditur; itaut cum inter Bononienses, ac Florentinos de confiniis aliquando implicata ancepsque contracta lis esset, ut jam nil minùs abesse videretur, quàm ut iretur ad arma, ut parti utrique jus suum constaret; donationis Guillelmi Comitis scrutinio res omnis detecta est, lisque diremta. Etsi autem Cistercien sibus non omnes, quibus anteà Monasterium illud abundabat, fortunæ constiterint; quæ tamen illis obtigerunt ita tutati sunt, ac diligenti parcimoniâ amplificârunt, ut & nil illis per tot annos perierit, & siquid aliquandò intercidere visum fuerit, aliorum culpâ intercidisse credatur. Ipsi vidimus Portus Signiæ à nautis qui à Lyburno Florentiam advehunt mercos Abbati Septimi portoria pendi. Sed instinctu posteà delatorum, quos lucelli spes perfidiosè commiserat, ac publicæ rei reclamantibus administris, res tandem eâ lege ad Principem rediit, ut specioso titulo conductionis ea summa pecuniæ Monachis quotannis solveretur, quantam ex locatione à ceteris conductoribus solerent accipere.

Tum ad amplitudinem loci ostendendam non parùm etiam facere videntur gratiosa, ut vocant, amplissimaque tùm Imperatorum, cùm summorum Pontificum diplomata, eidem Monasterio munificentissimè indulta. Otho enim III. Imperator, adeò Monasterio Septimi favit, ut ea omnia, quæ quoquo modo ejus juris esse viderentur, à quavis potestate exemta esse voluerit: inhibuitque ne quis in ejus Monasterii bona, Ecclesias, loca aliquando Gratiosa diplomata.

inquireret, doloque malo lite contractâ in anceps jus ullo modo traheret. Itidem Henricus II. & III. Cæsares, multis aliis adjectis privilegiis, Septimianis Monachis indulserunt. Jam Pontifices Maximi haud dispari in eosdem liberalitate fuerant; ut siquis hîc velit indulta omnia recensere, quantumvis à profluenti loquacitate benè paratus, imparem tamen suis humeris materiem dicendi desumat. Extant apud nos adhuc Paschalis II. Leonis IX. Urbani II. Calixti item II. VII. Gregorii, Clementis III. III. item Alexandri adeo ampla, plenaque amoris Septimo concessa diplomata, ut admirationem legentibus commoveant haud sanè mediocrem. Quorum exemplum imitatus posteà IX. Gregorius adeò Cistercienses suos, quos inire Septimi Monasterium jusserat, ita illustri beneficiorum genere ornavit & coluit, ut propemodùm ambitiosè, nedùm libenter Septimiani Abbatis ad se consecrationem trahat, declaretque Cistercienses nullis diplomatibus Pontificiis, quibus præcipuè Ecclesiasticæ pœnæ, diraque inferuntur, contineri involuique debere intelligi, nisi conceptis expressisque verbis designarentur. Quæ omnia, cum nonnisi amplissimis ditionibus tùm honoris, cùm conservationis causâ adhiberi solerent, ut de Monte Cassino, Cœnobioque Nonantulano præclarissimis, atque opulentissimis ditionibus, sæpius cautum esse, de Regno Italiæ memorat Sigonius; hinc rectè colligere est, tanti nominis, tantarumque divitiarum per ea tempora fuisse Septimum, ut parùm iis, quæ modo dixi Monasteriis de dignitate, ac opulentiâ concedere videretur.

Bibliothecæ amplitudo.

Jam splendidæ Bibliothecæ quæ exstant adhuc reliquiæ, argumento sunt, celeberrimum per totam Italiam fuisse Cœnobium. Continebat enim omnium ferè disciplinarum innumerabilia manu exarata volumina; ut jam satis sit semel dixisse, ex illius ruinis vel auctas, vel dita-

tas

tas fuisse aliquot illustres Bibliothecas. Memini ego cum adhuc adolescens eò loci animi gratiâ degerem aliquando, mirarerque quamplura volumina oblita limo, quorum essent adeò contractæ membranæ, adeòque deletæ literæ ut vix; aut nullatenùs legi possent; gravissimum senem narrasse, à priscis se patribus accepisse, militum Florentinorum cum hoste conflictum tantæ jacturæ causam fuisse. Cum enim, ajebat ille, egressi de Monasterio, ubi excubabant, urgentes hostes à muris repellerent, vix ultrà vallum, fossamque progressos tumultuariò excitata repente defecere sublicia. Itaque ut pugnantibus, qui remanserant, reditum quàm tutum possent, pararent, ne si ex pugna fessos regredi contigisset, aquis obruerentur, vel limo infixi ad unum omnes trucidarentur; jactis ingentibus librorum corporibus, pontem utcumque excitarunt ad reditum. Unde videre licet, quàm copiosa librorum ea Bibliotheca fuerit, quorum vel minima pars ad construendum pontem, quo regredientes militares copiæ exciperentur, abundè sufficerit. Nec à vero abest illìc aliquando vel consedisse, vel conflixisse acies. Hoc enim ibidem defossæ, repertæque galeæ adstruere videntur, cum, adhibitis fossoribus, sumtuoso planè opere aquosum murorum vallum altiùs excavari jussissent Monachi, ne solito alveo prohibitæ aquæ ad pavimenta domorum, magno incolarum incommodo subsilirent. Ex quibus sanè crediderim posse deduci tam opulentum Cœnobium vel ad septuaginta, vel etiam ad centum aliquando aluisse Monachos. Id & laxa structura domorum, ac divitiarum opulentia prædicat; & in primis D. Benedicti institutum ejus naturæ est, ut si ritè obeundum sit innumerabiles Monachos penè deposcat, paucos vero tanquam oneri impares haud patiatur. Sed de hoc dabitur infrà commodior dicendi occasio. Institutum.

Nec minùs splendoris loco adjecit miraculum omnium Petri Ignei miraculum in Septimo.

nium sanè literis prædicandum tempore D. Johannis Gualberti Ordinis Vallis umbrosæ Fundatoris, anno MLXX. editum. Hic cum zelo Phinees à complexu Florentinæ Ecclesiæ incestuosum Episcopum, hoc est, labe hæreseos, ac simoniæ infectum Petrum Ticinensem lanceâ prædicationis, atque objurgationis conaretur divellere, plerisque nobilibus Episcopi fautoribus contradicentibus, ut vera se narravisse monstraret, provocavit ad judicium pyræ. Igitur condicitur dies, locusque præfigitur, hoc est Septimum, exstructâque pyrâ, atque S. Johanne Gualberto orante; Petrus qui à miraculo ignis, Igneus postea dictus est, & Albanensis Episcopus, Cardinalisque ob eximiam vitæ sanctitatem creatus, per sese attollentes flammas, majore fidei ardore ingressus est, eòdem etiam reversurus cum evasisset illæsus, ni populus perspicuæ veritatis edoctus, summis conatibus obstitisset. Atque ita Petrus, Petrum ejecit è sede. Locus, ad æternitatis memoriam, dignus visus est, qui, laxatis posteà à Cistercensibus templi finibus contineretur, substratoque cum inscriptione marmoreo lapide notaretur, parietique infixa perantiqua facti figura doceret, quàm Deus mirabilis sit in sanctis suis, qui, ut Ecclesiæ suæ, quam sibi proprio sanguine acquisivisset, consuleret, tàm admiranda per eos præstitisset. Denique his quæ hactenùs diximus quasi pulchram coronidem appingamus S. Quintini Martyris miraculum, quo primùm compertum est, in templo S. Salvatoris Septimi ejusdem corpus incognitum, inhonorumque latere. Etenim anno MCLVII. Adriano IIII. Pont., Friderico verò imperante; cùm inter primariæ nobilitatis ephebos, quos in disciplinâ Septimiani Monachi habebant, nobilissimus, ac eximiæ formæ puer, Monachum induisset; Dæmon, qui nonnisi ægris oculis benefacta prospectat, progredienti, humanam speciem imitatus sese obtulit aliquando, attonitisque ocu-

Inventio S. Quintini in Septimo.

oculis, contractis humeris, tùm compressis præ admiratione labiis, juvenem intuitus, commotione, gestuque corporis primùm, deindè querulis vocibus abire volentem ita compellat. Et te non puduit, teque non miseret tui, candidum istius juventutis florem tàm atrato vestimento turpasse? Quodque formæ solum decus est, ubi capilli, ubi vernantes abiere comæ? Adeò tui oblitus es; adeò in te es inhumanior factus, ut non succurrant, quibus ista capitur ætas, quibusvè modò in seculo tui beantur æquales, jucunditates, oblectamenta? Num triplici ære ita circumdatum puerile pectus habes, ut vitæ durioris incommodis nequaquàm frangi posse arbitrere? Ah! teipsum respice, si sapis, ac caduco, teneroque flore ætatem fugaciorem, antequàm matutinum rorem puerilium voluptatum, antequàm solem robustioris oblectamenti videre potuerit, ne prior ipse convellas. Si me sequaris, ipse instituam, ipse docebo, quò jusseris ibo, quò non jusseris sequar: beatæ vitæ me non contemnendum architectum habebis: mihi certè ad votum fluit voluptas, quam tecum, si me audis effusè communicabo. Num deliberantem exspecto? Num in propriæ salutis commodis capessendis adhuc nutantem experior? Vix ullus hactenùs repertus est, qui invitus audierit, cum cogitur aut oblectare se, aut vitæ commodis frui. Sub hæc verba, adeò à pueri vultu, nutibusque oculorum pendebat, ut ipsâ contuitus intentione responsum elicere velle videretur. Puer vero incerti vultus hominem demiratus, hùc illùcque circumferens oculos meditabatur effugium. Tum Dæmon à blanditiis sensim ad vim delatus, reluctanti sacram vestem semel & iterùm nequicquàm conatus detrahere, tandem victus discessit: illicòque suprà humanum vestigium splendidus, ac pulcherrimus juvenis affuit, victori puero gratulaturus de hoste triumphum; verbisque gratulatoriis addidit & salutaria monita: videret

ret iterùm, atque iterùm, ne sequeretur devium, nevè fallenti præstaret fidem, opus esse in susceptæ vitæ proposito constantiâ quàm maximâ, si è manu aucupis callidissimi tanquàm passer elabi vellet. At hostis quamquam repulsus sæpiùs institit tamen novis technarum contractis copiis adversùs resistentem renovare bellum. Modò enim minis, modò blanditiis, modò de rebus splendidisque ingestis promissis: modò denique ridiculâ gesticulatione, venerisque improbissimâ imitatione, ita in suscepto vitæ statu obfirmatum puerum urgebat, ut minimùm abfuerit, (nisi idem ille pulcherrimus juvenis, ac militari robore plenus opportunam tulisset opem) quin dederet se, atque in potestatem irati victoris veniret.

Cœterùm eò impudentiæ prolapsus Dæmon est, ut dormienti puero eodem cubili usus sæpiùs importunè hæreret. Ejus enim constantiam, atque adeò quâ septus erat custodiam vel frangi, vel facilius eludi posse arbitrabatur, si divinarum rerum segniorem puero curam injicere potuisset. Ergo cùm se totum Dæmon ad senioris cujusdam Monachi corporis habitum confinxisset, cubantique puero clanculùm adhæsisset; accidit, ut divinarum vigiliarum horologium repentè signum excluderet. Surrexit impigrè puer, confricatisque oculis, ut torporem excuteret, divinum pensum persoluturus festinus abibat. Cùm fictus ille senior manu, vultu, oculis ne silentii jura violare videretur, retractum decumbere, & quiescere jubet. Obaudientem larvæ solutior somnus oppressit; donec paulo post horæ primo signo iterùm evocatus; ad templum oraturus, progressus, ipso in limine infestissimum Dæmonem obvium habuit, qui trucibus oculis aditu ingredientem prohiberet, & se per vim monachalem cultum interminaretur ablaturum, ni imperanti pareret. Tunc puer vi apertâ petitus clamores extollere, præsentium, absentiumque implorare fidem, hàc illàcque cur-

cursitare lymphatus; torquere oculos, obtorto spumare ore, denique tremere totus, sudare præterea, unàque algere cœpit. Ingentes clamores exciverant omnes, quique accurrerant, pueri vicem miserti, quasi tertianæ frigore captum admoverunt igni. Qui, cùm propiùs accessisset, satiùs ratus deperire incendio, quàm tale deinceps à Dæmone pati, conatus est, sed prohibentibus Monachis incassùm, sese in flammas proripere. Indè lectulo conditus, cum iterùm & sæpiùs vapulasset à Dæmone, multaque fuisset perpessus, totus ille juventæ decor defluxit in maciem, itàque per intervalla temporum torquebatur, ac si quæ sunt apud inferos, ultricium flammarum pateretur incendium. Jam nullus erat qui ambigeret, puerum, occulto Dei judicio, atque ad ejusdem majorem gloriam eam injuriam à Diabolo sustinere. Quare indicto jejunio, ab unâ oratione auxilium petendum decernunt; adducuntque obsessum ante D. Nicolao episcopo Myrensi sacratam aram: ibique orantibus cœteris, cum unus Monachorum catholico ritu sævientem Dæmonem urgeret; post multam luctam, ex eo cognoscit omninò duos esse, qui miserum obsiderent. Quorum alter cùm immeritum puerum miris modis, diuque divexasset, tandem horribiliter exclamans excessit; subsecutaque illicò liberati vox est gratiarum & laudis. Et num videtis (in dexteram templi partem porrecto indice) addebat puer, quàm senex ille sanctissimus & infulatus, pulcherrimo illo juvene sibi adjuncto socio fugientem Dæmonem pedo, quod manu tenet, strenuè, junctisque viribus detrudat ad inferos? Igitur intellexerunt, qui aderant D. Nicolai precibus, opeque alterius incogniti Sancti Dæmonem fuisse dejectum. Actisque numini gratiis: cùm qui exorcistæ munere functus fuerat, quærere instituisset, cur inde qui remanserat non abiisset & ipse? Retulit se in sequentem diem Sancto illi

præ-

prædæ relictum, qui sub altari à multo tempore jaceret inglorius. Nomen deindè postulatus Sancti, dabat mugitus veriùs, quàm verba redderet, atque in omnem partem se versans proferre desugiebat nomen cujus vel perfunctoriâ mentione tantoperè torquebatur. Coactus tandem, horibili voce fassus est, Quintinum martyrem esse cujus erat expellendus virtute, cujusque meritis (si ei debitus adhiberetur cultus) eo in loco suspicienda patranda miracula. Quanquam mendacem ejusdemque mendacii parentem, atque architectum noverant; placuit tamen omnibus experiri an hostis delatione, verè ibidem lateret thesaurus, qui ægro saluti foret, & loci dignitatem augeret. Effodiunt itaque, scrutantur attentiùs, ligneum penè exesum, ac subterraneo humore corruptum offendunt conditorium, in eoque, manantibus præ gaudio lacrymis, venerabundi invictissimi martyris exosculantur ossa: indèque frustulum exstractum admovent obsesso; trepidus, festinusque abscedit Dæmon, lætantur effusè omnes, solemnique in honorem martyris sacrificio peracto, divinis beneficiis recolendis extollendisque reliquum insumsere diem. Ceterùm cùm nil præterea ad ampliorem martyris cultum à Monachis adhiberetur; questus per visum cum puero est, à quo depulerat Dæmonem, haud sibi pro meritis redditam fuisse à Monachis vicem, addiditque minitabundus, magnam ipsis, Monasterioque impendere procellam; ni & divinâ virtute editum miraculum deprædicarent, & supplices recèns inventum corpus circumferrent honorificentiori loco collocandum. Quibus auditis Abbas candidè narranti puero fidem adhibuit, indixitque celebriores supplicationes. Fit è vicinis pagis incredibilis populorum concursus, perstrepunt læto, festoque sono campanæ, nudis ingrediuntur pedibus, Deum in sancto suo lætanter collaudant, martyris modulatis vocibus opem implorant, excipiturque tandem di-

digniori loco: denique pro concione explicatum miraculum eſt, confertiſſimâ circunſtante auditorum coronâ. Ut vero inventi corporis fama exiit, cunctos per totam ferè Hetruriam ejus invaſit religio, itaut certatim omnes qui aliquo gravi morbo laborarent, ſacras illas reliquias, recuperandæ ſanitatis gratiâ, veneraturi adirent. Denique ita multis, apertiſque miraculis Deus martyris ſui corpus decoravit (ſicuti ſtatim exponetur) ut indè, aliiſque non ſpernendis potiſſimis conjecturis plurimi inducti fuerint ad ſuſpicandum illum ipſum eſſe Quintinum civem Romanum, ordiniſque ſenatorii, qui ſub Maximiano Imperatore in Galliâ apud Auguſtam Veromanduorum illuſtrem tulit palmam martyrii. Pauca verò hic de multis miraculis aſcribere libuit, eaque præſertim quæ teſtatiora ac celebriora habentur: ne ſi in iis narrandis multi eſſemus, quidvis aliud potiùs quàm Septimianam hiſtoriam intexere videremur.

Igitur quidam, cujus ita aruerant manus, ut eas nec admovere ori, nec caput ſcalpere, nec, ubi cadere contigiſſet, iis nixus ſe poſſet erigere, cùm accepiſſet, martyris Quintini corpus coruſcare miraculis, Septimianum templum ingreſſus ante reliquias Martyris magno fidei ardore procumbit in genua, oratque à mane uſque ferè ad occubitum ſolis. (Mira dictu res) inter orandum divino imperio ſubito paruere nervi. Mollitis enim, ac flexibilibus factis, ad munus ſuum rediere manus. Quibus more ſupplicum junctis & gratias egit Deo, & martyri liberatori ſuo quem potuit maximum detulit honorem; indeque lætus votique compos abſceſſit..

Nec ſegniorem martyris opem quidam ex Benedictinorum familiâ expertus eſt. Quem cùm malus abripuiſſet Dæmon, itàque vexaſſet crudeliter, ut aſpectantibus etiam terrorem incuteret; cœterorum Monachorum admonitu per quatuor dies reliquias martyris ſupplici,

demissoque animo veneratus est, ipsoque Paschatis die quando cœlesti pane reficiendi fideles ad sacras ædes conveniebant frequentissimi, elato clamore omnium in se animos, oculosque convertit. Quibus pro eo orantibus, ac claris vocibus, quæ eminùs exaudiri possent, opem martyris implorantibus, cùm inter charorum manus æger quasi fœtentem fumum exhalasset, paulo post erectus in pedes è diabolicâ se tyrannide ereptum lætissimè proclamavit; seque martyri Quintino, secundum Deum tantum beneficium debere ingenuè professus est.

Votis etiam cœcæ mulieris non minùs fortunatus eventus respondit. Cùm enim per quatuor annos ita luminibus capta fuisset, ut ne extrà cubiculum quidem sine duce pedem efferret; cùm ad martyrem se perduci jussisset, adeò incensis precibus sibi ademtum restitui lumen postulavit, ut vix oratione finitâ, & clarè oculis hauserit diem, & ducem ceteris in itinere se præbuerit. Divina prætereà virtus Quintini martyris precibus interpellata, in juvene præfocato aquis per ea tempora maximè enituit. Cum enim humanis corporibus salutares undas advehat Arnus; ubi adoleverit æstas, remiserintque statæ ventorum Ethesiæ, levando, leniendoque æstui Florentinis tenuibus, æquè ac nobilibus unum effugium esse solet. Ita vero undis abluunt corpora, ut piscatu, natatu, cantu etiam qui admurmurantem deceat amnem, lætissimè tempus fallant. Hic igitur, de quo nunc nobis est instituta narratio, inter sodalium greges ludens, quorum alii reticulis insertis brachiis incautos intercipiebant pisces, alii blandientibus hamis repugnantem convellebant prædam; cum in adversas ire natando aquas maximè sibi placeret, sensim fugacibus undis submotum infestus fluminis gurges abripuit, & semel ac iterum circumactum, spectantibus ceteris miserabiliter absorpsit. Fit clamor, hùc, illùcque, sed citrà periculum discurritur, fu-

funes jaciunt, prælongos ac puros porrigunt contos cum morte luctanti auxilio futuros. Verùm incassum omnia. Largius enim epotæ aquæ cùm exclusissent animam, inutile pondus in imo corpus subsederat. Dein cùm undarum impetu è gurgite emersisset cadaver, sensimque deveheretur ad propiora margini loca, quanquam latens adhuc diuque quæsitum exspiscati sunt tandem: retulêre domum: ejulat mater, lacerat pectus, convellit crines, fateturque unum illud sibi relictum solamen, ni desolatæ negarent, si cum exstincto pignore uno, eodemque sepulchro contegeretur. Flentem ut audivit quædam è viciniâ illâ misericors femina, accurrit festina, assidet mœrenti, solatur ægram, additque satiùs illi salubriusque fore si martyris Quintini omni majori fide imploret opem, quàm si nil profuturo gemitu pectus diduceret. Mulier ad eam diem sibi incogniti martyris recreata memoriâ, paululùm restitit, evocatisque ex imo rursùs suspiriis, conversisque in cœlum madentibus oculis; & te, Quintine martyr, ait, quoad vitâ frui licuerit, sanctè, castéque colam, si me tuo munere vivum filium iterùm amplexari contingat! Vix votum absoluerat mater, cum regredientis animæ impetu, egestis cadaver aquis statim intepuit, vitalemque teporem motus, motum deinde absolutissimus vitæ usus excepit. Demirantur omnes, miraculum prædicant, divinam virtutem extollunt: mater verò adolescentis ut sese voto exsolveret, liberatorem suum, quoad vixit, quo potuit maximo cultu, officioque est prosequuta.

Haud absimilis ad Arnum lavantem se puerum in minimè dubium vitæ discrimen abstulerat casus. Hic nequaquàm anteà aquæ fallacem fidem expertus, se undis ad destinatum scopum devehendum ludibundus, resupinusque commiserat; sed cœco currente fluctu, cujus vis, proximæ moletrinæ rotas rapidissimâ vertigine devol-

volvebat, sensim in ipsas, concidendus in frusta, delatur; discrimine in medio, sancte Quintine, inquit, fer opem misero; mirabile dictu! ad exclamantis vocem, non minori, quo ibant impetu, retrorsùm conversæ aquæ periclitantem, sed ne leviter quidem violatum riparum depulerunt ad marginem.

Mulier item Pratensis erat adeò diuturniori morbo corpòris dementata, ut nec Dei recordaretur, nec hominum quenquam, ut sibi videbatur, agnosceret. Itaque nulli usui jam vitæ aptam domi affines (ut sunt ad omne incommodum evitandum parata hominum ingenia) exosam habere cœperunt. Unus miseræ nec sentienti se maritus solatio relictus erat. Cui cùm innotuissent martyris Quintini miracula, fidei ardore succensus ægram conjugem ante reliquias martyris adduci jubet. Ipse interim ad aliquot dies protractâ oratione, deploratæ feminæ impensiùs deposcebat salutem. Nec sua illum frustrata fiducia est. Indè non priùs abscessit, quàm ex toto receperit sanam. Quæ adeò non oblita divini beneficii est; ut sæpiùs posteà non parvo viæ labore sacras martyris inviserit venerabunda reliquias.

Illud denique memorabile. Mulieri filia erat eximiæ pulchritudinis puella, muta tamen, adeòut per gesticulationes, nutusque mater alloqui filiam cogeretur. Flebat mulier indignèque ferebat unius eloquii defectu tantam venustatem in filiâ deturpari. Sed cum in omnium ore volitaret fama Quintini, in spem venit ejus linguæ vinculum solvi posse, si martyris reliquias pro filiæ salute summâ cum fide fuisset venerata. Adit ergo ad martyrem, fundit preces, Deique majus spondet obsequium, si filia loqueretur. Nec mora; quæ ante matrem & ipsa procubuerat in genua, divinitùs solutam linguam puella in Dei laudes martyrisque præconia repentè convertit; indèque, mirantibus cunctis læta cum matre recedit.

Hæc

Hæc quæ hactenùs diximus, è Veromanduensi codice manuscripto, ejusdem utcumque elutâ barbarie, excerpsimus; quæ modo dicturi sumus, etsi nullus scriptor enarret, adeò tamen ad nos usque constans detulit fama, ut hîc non adscripsisse, supinæ prævaricationis videri poterit. Igitur anno MCCCLXIIII. Pisanis, misso Annichino Mangardo, consilio manuque promto duce cum sex millibus peditum, (quos ex fedâ colluvie Germanorum, Anglorumque contraxerant) Florentinum agrum vastantibus, adeò in pleraque nobiliora castella, frequentesque pagos usque ad portas urbis sævitum est, ut quod auferre miles non poterat, ignè corrumperet. Tunc Septimi visenda moles ad sui prædam prætereuntes milites invitavit. Qui cum officinas omnes, reconditaque Monasterii promtuaria curiosè, hostiliterque perscrutati essent; eam supellectilem offendêre, quæ monasticam moderationem deceret, non quæ militari rapacitati, ac ingluviei sufficeret. Quamobrem ad sacra diripienda vasa, quæ pietas olim pretiosa congesserat, unanimi conspiratione illicò versi. Illîc demùm cùm pro ditiori prædâ quisque certaret; adeò anceps coorta seditio est, ut nihil propiùs factum sit, quàm ut unius aciei commilitones mutuis vulneribus, rapacitate lanistâ, confoderentur. Dum ergo rixantur, dumque sursùm deorsùm feruntur omnia; gregarius miles omni rapiendi occasioni imminens, argenteâ ablatâ capsâ cum sancti Quintini corpore, (ut est inconsulta celeritas) malè ditatus abibat. Nec longè à Monasterio aberat, cum abjectâ inutili (ut sibi videbatur) ossium sarcinâ, quò expeditior se ad suos reciperet, argentum tantum affabrè factum retinuit. Haud tamen diutiùs passus Deus est, martyris sui corpus prætereuntium proteri pedibus. Illàc enim cum cæcus pedetentim, atque ad singulos gressus, viæ indice porrecto scipione, ingrederetur, in obvia martyris ossa tentabundum pedem

Ex constante traditione miraculum.

dem impegit, casurus nimirùm, ni ad reliquiarum contactum, discussâ statim caligine liquidissimè pervidisset & rectum itineris tramitem, & suæ salutis autorem. Ut ergo vidit, humi venerabundus procubuit, lacrymisque obortis tùm centies, tùm millies ossa deosculatus est; deinde excepit sinu circumlatisque oculis, ad proximam, quæ ceteras eminebat, hoc est, S. Salvatoris Septimi devexit ædem. Accurrerunt Monachi, divinitùsque sibi relatum martyris ingenti lætitiâ exceperunt corpus. Et loco quidem ubi miles nefarius ossa projecerat usque ad hæc nostra tempora, *sulci S. Quintini*, nomen est factum. Monachis verò per id tempus ea oblata est causa lætandi, ut eorum quæ à militibus crudelissimè passi fuerant, omnem acerbiorem memoriam deterserint. Et hæc quidem habuimus quæ ad loci dignitatem, amplitudinemque ostendendam in medium proferremus.

Cujus Ordinis Monachi primi incoluerint Septimū. Quivè postremi abierint.

Videamus modò cujusnàm ordinis Monachi sub Cisterciensium adventum è Monasterio Septimi proximè excesserint. Non sum nescius rem sanè obscuram, & maximis errorum tenebris involutam aggredi me declarare. Nullum enim adhùc historicum vidi, è cujus scriptis id clarè potuerim elicere. Si qui autem sunt, qui rem parcè, & modicè tangant, adeò timidè, ac suspensè in eo se gerunt, ut planè appareat gratis illos dicere, quæcunque dicunt. Rei etiam densiorem caliginem eorum silentium offundit, qui id Monasterium aliquando habuerunt. Etenim ne abitionis narrare causas cogantur, haud libenter fatentur, se illîc aliquando loci consedisse. Hæc cùm me ab iis investigandis deterrerent; tandem id quod quærebam perantiqui codicis manuscripti beneficio mihi videor assecutus. In eo enim pleraque illustriora privilegia quæ ad Monasterium Septimi spectant summâ diligentiâ perscripta visuntur; tùm ejusdem Monasterii pro tempore Abbatum contractus, conventaque (ut vocant.) Eorum

rum etiam nomina, cognomina, cùm quibus aliquando contraxére; itaut cum labentis fèculi annis non licitatores, non ferè proxenetæ fileantur. Hic igitur codex, tantùm, diù quæfitæ rei, attulit lucis, ut jam non timidè, non fufpensè, fed audacter, atque ex fide mihi enarrare poffe videar, qui fuerint primi loci accolæ, qui proximè abierint; quid denique in causâ fuerit, cur apud plerofque adhuc famâ teneat, id Monafterium ordini Vallimbrofano, vivente adhùc Johanne Gualberto fundatore, munificentiâ Comitis Bulgari in poffeffionem ceffiffe.

Et quidem Caffinenfes, aut Benedictinos, ut ajunt, primos incoluiffe locum nulli dubium effe poteft: cum Septimi fundamenta probatiffimi quique fcriptores in DCCCCLXXXIIII. annum rejiciant. Quo quidem feculo ex Benedicti inftituto nullæ adhùc fub diverfo habitu dimanaverant Religioforum congregationes. Id etiam fuadet ipfa conftitutio loci, quæ tota in ejus inftituti ufum (nifi quâ ex parte Cifterciences poftea intorferunt ad fuum) adhùc concinnata confpicitur. Accedunt item jam inde ab Othonis III. temporibus Abbatis Septimi, ejufque Monachis, hoc eft Benedictinis, ab Imperatoribus ampliffima indulta diplomata. Illic verò ufque ad adventum Cifterciencium perfeveraffe, vel ipfi contractus ad confervandas, vel Monafterii fortunas augendas editi pleniffimè docent. Leguntur enim conditi nomine Benedictinorum ab anno DCCCCLXXXXVIII. ufque ad MCCXXXII. Quorum feriem piguit hic vel ftrictim adfcribere, ne gratis ac fupervacuâ lectione lectorem meum defatigarem. Tum hoc ipfum aftruere videtur memoratum à nobis miraculum inventionis fancti Quintini martyris. Id enim cùm tempore Caffinenfium Monachorum (ut plenæ fidei apud nos proloquuntur fcripturæ) à patrato ignis miraculo anno octuagefimo feptimo acciderit; planè convincitur & ante S. Johannem

nem Gualbertum; & post ejusdem excessum, Septimi Monasterium usque ad Cistercienses, Cassinensium ditionis fuisse.

Omnem prætereà hujusmodi de re ancipitem opinionem jugulat IX. Gregorii diploma contrà Benedictinos, ac in favorem Cisterciensium, Ardingho Florentinorum Antistiti directum. Quod quia breve est, remque omnem ad libellam veritatis expendit, hic totum adscribere non piguit.

GREGORIUS EPISCOPUS Ser. Ser. Dei. Vener. fratri Episcopo Florent. Sal. & Apost. Bened. Cùm, sicut accepimus Monasterium S. Salvatoris de Septimo Ordinis S. Benedicti tuæ Diœcesis cui autoritate nostrâ inquisitionis officium impendisti, non possit in eodem ordine reformari; fraternitati tuæ per apostolica scripta mandamus quatenus in eodem sicut tibi vivâ voce recolimus injunxisse, sublato difficultatis, & appellationis obstaculo, Cisterciensem Ordinem, per quem ibi devotionis thura redoleant & decor honestatis exuberet, plantare procures. Ejusdem Monasterii Monachos, qui noluerint habitum Ordinis memorati suscipere, in aliis Monasteriis sui Ordinis collocando; contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendo. Datum Viterbii XV. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri An. 9.

Ex quibus planè constare videtur, primos ejus Monasterii accolas Cassinenses fuisse, eosdemque abiisse postremos. Neque tamen defuerunt olim qui secùs assererent; neque hoc tempore qui eorum sententiæ libenter accedant. Atho Pacensis in primis Pistoriensis Episcopus, qui fermè quingentis ab hinc annis ex ordine Vallimbrosano sanctitate refulsit, in vitâ S. Gualberti, quam latinè composuit, affirmat, à Comite Bulgaro, Monasterio Septimi S. Johannem Gualbertum aliquando fuisse do-

donatum. Quem secutus Milanesius, qui miraculum ignis, cujus suprà meminimus, luculenter retulit ac copiosè, idem hoc ipsum tradidit. Quorum opinioni Ciacconius Dominicanus in vitis Romanorum Pontificum & Cardinalium non invitè accessit. Qui de Petro Igneo Cardinali narrat, Septimi etiam Priorem fuisse. Idem Borghinius in suis posthumis de Ecclesiâ, atque Episcopis Florentinis: idem denique ex Vallimbrosano Ordine scio non neminem Hetruscis literis tradidisse, ac addidisse prætereà, lapsâ Septimianorum Monachorum disciplinâ, ab ipsis propemodùm Monachis S. Johannem Gualbertum accitum, à Comite verò Bulgaro semel & iterùm invitatum, minùs lætanter tanti Monasterii suscepisse munus. Quam quidem opinionem in animis multorum ignis miraculo, quod eò loci editum fuerat, diù alitam, horum deinceps illustrium autorum mirum in modum auxêre scripta. Qui tamen si rectè intelligantur, non modò cùm nostrâ sententiâ non pugnant, sed etiam nos plurimùm juvant, ut id quod verum arbitramur copiosiùs & faciliùs explicemus.

Quare nulli dubium esse debet, beatum quidem Athonem (cujus modò verba expendemus, & à quo hausêre ceteri) cùm de donatione Monasterii Septimi per Comitem Bulgarum D. Johanni Gualberto factà commemorat, vera narrare. Ejus tamen verba ità intelligenda sunt; ut penes D. Johannem Gualbertum, placito Pontificio accedente, roganteque Comite Bulgaro, Benedictinos reformandi jus fuerit, haud item qui illìc degebant Monachos expellendi. Quoniam verò hujusmodi institutiones ad defecatiores mores Romani Pontifices exsequi solebant per duos, aut ad summum tres probatissimos Monachos, qui cum instituendis eodem cultu vestium uterentur, ne tanquàm externi aut contemnerentur, aut illis minùs fidei haberetur; eâ ratione

D cùm

cùm rem omnem vir ſanctiſſimus confeciſſet, rumor increbuit, Septimum Vallimbroſanorum fuiſſe. Sed reverà nec Ordo Vallis umbroſæ Septimum unquam ſui juris fecit, nec Benedictini ob novam inſtitutionem, vel habitum amisêre, vel nomen: ejuſque Ordinis Abbatum, uſque ad Ciſtercienſes, ſeries ità continuata decurrit, ut de Vallimbroſanis ne ullum quidem verbum alicubi habeatur; niſi fortè velint nomine Benedictinorum, ubicunque inciderit eorum mentio, cenſeri, quos poſteà à ſeveriori ſtudio monaſticæ diſciplinæ deſcitos, factoſque incorrigibiles expulerint Ciſtercienſes. Sed ab hoc tàm abhorrebant, quæ ex regulâ D. Benedicti in dies reformabantur Religioſorum Congregationes (in quibus præ ceteris Vallimbroſana enituit) ut nonniſi commutato & nomine, & habitu (ſi Jacobo de Vitriaco Cardinali credimus) puriores mores profiterentur. Dicendum itaque eſt, Benedictinos in Septimo S. Johannis Gualberti ſemel operâ reformatos uſque ad adventum Ciſtercienſium perduraſſe; ex eo quæ illis exſtiterint cauſæ cur indè abierint, ſupra citatum Gregorianum diploma ſatis verecundè indicare videtur.

At ſiquis pergat urgere, Vallimbroſanorum videri fuiſſe locum, quòd ibi à Petro ejus inſtituti alumno, ignis miraculum editum ſit; reſpondeo, locum, ut commodiorem tantùm ad id efficiendum fuiſſe adlectum, quo tùm inutilis turba faciliùs declinaretur; cùm apud eos Monachos tota ratio facti conſtaret, qui cùm alterius eſſent inſtituti, ſi Nobiles, ſymoniaci Epiſcopi aſſeclæ, qui aderant, conarentur perſpicuum invertere miraculum, apertè proditi Numinis idonei teſtes advocarentur. Ceterùm Borghinium demiror, qui cùm in ſuis poſthumis, quos ſupra retulimus, Septimianum Cœnobium, Vallimbroſanis Monachis aliquando attributum fuiſſe dixiſſet; ſubintulit, nec mirum, nec novum id debere vi-

videri, Vallimbrosanos scilicet præcessisse in Septimo Cistercienses, quòd ab edito ignis miraculo, usque ad Cisterciensis Ordinis ortum, centum non minùs intercurrerint anni. Sed nimirùm qui viginti & octo non amplius anni erant, numeranti Borghinio centum præ tædio visi sunt. Millesimo enim septuagesimo miraculum fit: millesimo verò nonagesimo octavo sub Patre Roberto cœpit Cistercius Ordo. Maneat igitur Vallimbrosanos in Septimo Benedictinos ad novam tantùm vitæ normam instituisse, non item expulisse. Quod ni concedatur, & fidelissimis scripturis, quæ apud nos exstant, suum abrogari pondus, & multa absurda admitti necesse est, quæ utrique Ordini minùs videantur decora.

Quibus ità constitutis, aperiendæ jam nobis causæ sunt Cisterciensis Ordinis ad id loci adventus, notandum tempus, indigitandi progressus, viri illustriores proferendi in lucem, ad quorum virtutum cotem aliquando tandem æmula exacuatur posteritas. Itaque Monachismi olim is status erat, ut labentibus moribus ea vitæ institutio è moribus hominum brevi discessura videretur, ni ejusdem instituti alumnorum salutari quodam divortio, dissidioque suâ mole monasticæ rei nutanti fuisset consultum. Jam enim opulentiora Cœnobia pauciores alere cœperant, ut ejus qui præerat, splendidæ luxuriei possent sufficere. Indè licentiores egressus, Numinis cultus tepidior, in perfectioris vitæ studio cura remissior. Quo vitæ marcore illustres pietate viri in Galliis apud Molismum adeò offensi sunt, ut in vitæ prioris invidiam nigrum cum albo cultu mutato, novam vivendi rationem instituturi, Cistercium, duce Roberto, petierint. Res & successit feliciter, & ad invidiam brevi provecta est. Siquidem cum Bernardo, eximiæ sanctitatis decore, ejus vitæ genus plerisque nobilibus profitentibus ubique terrarum adeò latè radices egit; ut adhùc vivente Bernardo

Quis Monachismi status dum Cisterciensis Ordinis cunabula conderentur.

in plerisque nobilissimis Regnis ejus instituti innumerabilia propemodùm exstarent Cœnobia. Is ille Cisterciensis Ordo est, qui salutaris planè Christiano Orbi illuxit. Id cùm multa alia, quæ ad universam Christi Ecclesiam exornandam in pace egregiè præstitit, proloquantur; tùm verò maximè eò clariùs visus est prælucere, cùm ingruentibus bellorum, ac schismatum tenebris, ita Christi causam ubique & semper tutatus est, ut vel cum Ecclesiâ sibi vincendum, vel pro eâ fortiter occumbendum, pulchrum putarit. Vix indè ab ortu suo seculum excesserat integrum, cùm ecce tibi Fridericus Ænobarbus fœdam prædabundus toti Italiæ tulit cladem, obque suas privatas rationes Alexandro III. vero Pontifici aversus, Victori per vim intruso, ut rebus suis fautorem haberet, per summum scelus subscripsit. Hinc illæ factiosorum hominum, atque ad omnem perniciem comparatæ Gibellinorum, atque Guelforum sectæ ab inferis excitatæ revixêre. Hinc nobilissimarum civitatum direptiones, populorum secessiones, principum virorum à salutaribus pacis consiliis abalienati animi: hinc denique cæde, sanguine, ruinisque completa omnia, omnia fœdata. Cùmque Friderico victori (si unum vel alterum Regem, Angliæ videlicet, ac Franciæ, in suam adduxisset sententiam) omnia viderentur ad votum fluxura; unus Cisterciensis Ordo repertus est, qui primus (quicquid ex Surio de Charthusiano dicat Baronius) publico decreto in generalibus comitiis condito, III. Alexandri causam complecteretur, pseudo Pontificis rejiceret Victoris. Unde tantum, sollicitatis, ac piis Regibus, ceterisque Monachorum gregibus animi factum est; ut apud eos, exemplo Cisterciensium, plus religio, quàm improbi Regis gratia valeret. Tum verò demùm Ænobarbus irâ exarsit: edixitque ut Cistercienses aut Victori subscriberent, aut è Regnis sibi subjectis excederent. Excesfêre imbelles, ac pan-

Baronius ann. Christi 1160.

pannosi homines, pugnacissimi, ac potentissimi Imperatoris in ipsâ fugâ victores, pulchrumque, toto propemodùm Christiano Orbe acclamante, de tàm fœdâ tyrannide egêre triumphum. Ex eo spes ingens Alexandro Pontifici facta est, sedem, ac pristinam dignitatem recuperandi: Friderico verò Regni Italici potiundi disperatio injecta. Rediit aliquando tandem Alexander: ille verò irritis conatibus, plenusque dedecore remigravit in Regnum: fœderatæque civitates in recedentis contumeliam, ac regredientis Pontificis nullo unquàm tempore interituram memoriam, novam condidêre urbem, cui de Pontificis nomine Alexandriæ nomen fecêre. Pucherrimum factum majoris moderationis laude (quò sceleri speciosior pietatis titulus obtendebatur) Cistercienses Monachi cumulârunt.

Sextus enim Henricus Ænobarbi filius, truculentior Tyrannus veriùs quàm Imperator, cùm accepisset, ab Humboldo Austriæ Duce, Richardum Regem Anglorum, naufragum, inermem, privatâ veste sordidatum, à sacrâ expeditione revertentem, contra divina humanaque jura captum; ratus (ut erat inter cetera vitia, avaritiæ sordibus contaminatus) sibi è faucibus ditissimam ereptam prædam, illato armorum terrore, coëgit Ducem, ut sibi primo quoque tempore traderet vinctum Regem. Recepit tandem: Regemque de Christianâ publicâ re optimè meritum per summam impudentiam in vinculis habuit: nec nisi centum millibus argenti libris multatum dimisit. In eo, cùm Dei, hominumque odium meritò incurrisset, conscientiâque terrente hominum conspectum, lucemque defugeret, animi anxius de sacro suscipiendo bello cogitare cœpit, ut fœdissimam impietatis contractam labem deleret. Sed ad id à Pontifice mox salutari Crucis signo donatus, homo levissimus causatus Regni discrimen si longiori bello distentus abesset, fidem

fidem fefellit. Sed ne vel in totum impius videretur, tribus millibus argenti beſſibus ſolutis, thuribula argentea tot confici juſſit, quot toti Ciſtercienſi Ordini opus eſſe viderentur in ſacrificia. Sed haud degeneres Monachi tàm fœdam cum donatore, rapiniſque oblitam oblationem magno animorum ardore exſecrati ſunt: in eo cùm Majores viros ſanctiſſimos, tum verò Deum ipſum potiſſimùm imitati, ***qui odio habet rapinam in holocauſto.*** Res plena decoris tantum apud Principes viros Ciſtercienſibus collegit gratiæ, ut jam nullus angulus eſſet, nulla privata civitas, nulla Provincia, Regnum nullum, neque citimum, neque remotum, à quo tam moderati, tamquam fortes homines non expeterentur, advocarentur: confitebanturque omnes, aliquando tandem Chriſti Eccleſiæ verum probitatis, ac fortitudinis affulſiſſe exemplum. Ex eo, Ciſtercienſibus Monaſteria, quæ ſæviente Ænobarbo deſeruerant, reſtitui cœpta, nova ubique terrarum effuſâ liberalitate fundari. Neque enim quiſquam rebus ſuis tam erat averſus, ut nollet ab iis, incenſis ad Deum precibus commendari, qui clauſi cellulis, vilibuſque obſiti pannis, improbis Regibus terrori eſſent, atque formidini. Cum ergo plerique in eo conniterentur, ut tàm ſalutaris Ordinis longè, latéque termini proferrentur; tùm verò ad hanc laudem per ea tempora Florentinorum ſtudia exarſerunt. Acuebant enim gentem cùm ea, quæ modò commemoravimus egregiè facta; tùm Vidonis Ciſtercienſis Archiepiſcopi Ravennatis in Rempublicam Florentinam ingentia merita. Hic cum juſſu Clementis III. Romani Pontificis MCLXXXVIII. divinâ planè eloquentiâ totum ferè Occidentem ad ſacrum bellum concitaſſet; præcipuè verò Florentiæ (ut Sigonii utar verbis) cùm quarto Nonas Februarias ad S. Donatum ſederet, infinitam nobilium, ignobiliumque manum ultrò nomina profitentem ſacris crucibus conſignavit. Quo ſtu-

Cur tantopere ubique gentium expeteretur Ciſtercienſes?

ſtudio audito, Fridericus, rogatu Clementis (quem Vido de gentis ardore in Deum fecerat certiorem) Florentinis jurisdictionem agri ſui paulò ante per injuriam ademtam reſtituit. Tum impellebant, ut dicitur, currentes, duo alia lumina purpurati ſenatus Raynerius Capoccius, ac Jacobus Pecoraria, ambo Ciſtercienſes, ambo Trium Fontium clariſſimi Monachi: quorum ille ſub Innocentio III., & Honorio III. bis Legatus in Thuſciâ, cùm trepidas res compoſuiſſet ex voto, ejus beneficii gratiâ Florentinorum animos maximè devinctos habebat. Hic inter Senenſes, Florentinoſque cùm odia calentiùs deſævirent, internicinoque bello certarent, ex inſperato redditâ pace, nil planè erat, quod à memori, gratâque gente non videretur impetraturus. Denique Pontifex ipſe Gregorius, ut tam ſalubre inſtitutum quaquaversùm extenderet, omnem operam adhibebat: & tunc quidem Ardingho Florentinorum Antiſtiti coràm eam demandârat provinciam. Itaque cùm omnia conſpiraſſent, ut Septimum ſui juris Ciſtercienſes facerent, eâ de re tandem ad Senatum Florentinum relatum eſt. Apud quem, cùm quà politica, quà pietatis commoda, quæ ab uno amante Patriæ cive luculentiùs inculcabantur, plurimùm valuiſſent; publico Senatus conſulto ſancitum eſt, ut primo quoque tempore Ciſtercienſis Ordo in agrum Florentinum advocaretur. Ea autem per id tempus Ordinis proferendi lex erat, ut è viciniori Cœnobio ſacra Monachorum deduceretur colonia, quæ recèns fundandæ domui abundè ſufficeret. Id enim cùm opis citò latæ ſubſidium gratius erat, tùm ii qui è viciniâ advocabantur tanquàm morum gentis haud expertes, & complectebantur amantiùs, & in iis quos aliquâ ſimilitudine morum devinctos habebant, fructus ferebant uberiores. Erat in Senenſi agro celebre Cœnobium S. Galgano Eremitæ ſacrum, ad præſcriptum Ordinis Ciſtercienſis munificentiſſimè erectum: indè

Qui proferendi Ordinis autores?

Raynerius Capoccius & Jacobus Pecoraria Cardinales Ordinis Ciſtercienſis, potiſſimi ejuſdem Ordinis propagatores.

indè eos deduci placuerat, qui in Septimo novam vivendi rationem instituerent. Quod ipsum antequàm narrare aggrediamur, haud abs re fuerit tanti Cœnobii initia, miraculoso obitu Galgani nobilitata breviter recensere: præsertim cùm indè traxisse genus clara Septimiana posteritas glorietur. Acciderat jam olim Galganum Guidottum nobilem Clusdinensem, (oppidum id est in Hetruriâ prope Senas) à primis annis adeò deflectere à recto tramite morum, ut nullum jam tàm nefarium scelus esset, à quo videretur abhorrere. Tandem per prona vitiorum ruentem, subsecuta divina clementia est; ne immane calamitatis infernæ præcipitium absorberet transversum. Hinc enim parentum monitis, objurgationibusque castigatus; indè cœlestibus visis, Angelorumque recreatus alloquio, adeò saniorem repentè induit mentem; ut, remisso seculo nuncio, eremiticam vitam sanctissimè excoluerit. Siquidem in Valle Serenâ ad Montem Sæpium (ut vocant) propè Clusdinum tumultuariò excitatâ casulâ, anteactæ deplorandæ vitæ aptissimam sibi fixit sedem. Illìc ergo die, noctùque lugere, seipsum diligentiùs ad calculos revocare, durioribus se flagellis cædere, orare impensiùs, parcissimè uti eoque silvestri cibo, frequentiam fugere, in silvas ac tesquas se abdere, voluntatem propriam pessimè odisse, mente denique feliciùs frequentiùsque subvolare ad Deum. Quarum virtutum fama, cum intrà silvas ac nemora haudquaquàm se continuisset; sed prodente Deo apud Senenses, Senensiumque suburbia eundo invaluisset: adeò populorum concursu, eorumque potissimùm, quos ægritudo aliqua corporis malè haberet, (erat enim illi præcipua gratia sanitatum) infestabatur; ut ne qua occulta superbia mentem subiret, clanculùm fugere meditaretur. Ceterùm, quod illi longè molestissimum erat, ejus eximiæ sanctitatis rumor non minimam apud desides (ut tam for-

5 Galgani Monasterii initia nobilitata miraculo.

tu-

tunæ, quàm animi bona sibi invicem invident homines) innocenti Galgano conflavit invidiam. Dùm enim aliquando religionis ergò Romam peregrinatur, dùm adit, alloquiturque Pontificem, atque ad expianda peccata devotus adyta templorum invisit: Abbas quidam, Plebano ejus viciniæ, Conversoque sibi adjunctis sociis in absentem Galganum conspirat. Qui cùm divinâ virtute cæcati semel, & iterùm à nefario patrando scelere fuissent repulsi, ac nihilominùs in semel concepto facinore pervicacissimè perstitissent: tandem impetu facto, quem lapidi in modum crucis affixerat gladium Galganus, injuriosè perfringunt, incendioque supposito casulam totam adurunt. Sed vix à monte propemodum triumphantes digressos, incomparabili justitiæ exemplo, divina ultio, quæ non ubique & semper lenta progreditur, mox insecuta est. Repentè enim undique adductæ nubes obruêre tenebris diem, cœpitque crebris ignibus micare cœlum, tonitruque perstrepere: cùm ecce è densis, ac ex adverso concurrentibus excussum nubibus fulgur trepidanti, fugientique Abbati miserabiliter exhausit animam. Plebanus verò cum rivulum altum ad genua trepidus transuadaret, ut divinæ vindictæ, exploratiùs exstaret indicium, haudquaquàm violentibus undis obruitur. Famulo item à formidabili lupo, quem è nemore non tàm fames, quàm divina exegerat ultio ad cubitum convulsa brachia. Sed præ dolore exclamans, fidemque Galgani implorans, ceteram corporis lacerationem evasit, ut servatus divinitùs vel meliora sponderet, vel ad majorem Dei gloriam malorumque formidinem ingens miraculum, suspensis à collo brachiis, ut mox fecit, deprædicaret. Verùm hæc ipsa tametsi Romæ agentem Galganum latere non potuerunt. Quare potestate sibi revertendi ad nemus à Pontifice factâ (quem de iis quæ acciderant, Spiritus sancti instinctu, fecerat certiorem) magnis itineribus usus

ad montem Sæpium reversus est; indè etiam, ut tempori cederet, abiturus, ni ut ibidem maneret, ab Angelo fuisset admonitus. Instituit ergo deincèps pauperrimi domicilii damna summâ animi moderatione, neque minori miraculo, resarcire: ut ibidem tranquilla, sanctioraque silentia vitæ, ut solebat, exigeret. Quæ cùm Hugo Saladinus ex Comitibus Anagnis, vir sanctitate clarus, Volaterranus Episcopus accepisset; actis Deo ingentibus gratiis qui improbos non sivisset abire inultos; Clusdinum suæ ditionis oppidum contendebat, ut rem propiùs cognosceret: utque de sufficiendis vacuis Ecclesiis præpositis maturiùs deliberaret. Progredienti igitur Massæ Episcopus (cujus cognomen, nomenque intercidit scriptoribus) fit obviam, ac post mutua officii, benevolentiæque obsequia, cum de profectionis causis officiosè invicem interrogassent, retulit Massensis ob gravia, implicitaque negotia Senas versùs se iter intendere. Volaterranus verò cùm respondisset, se adire Clusdinum, ut viduatis Ecclesiis, ob vulgatum facinus in Galganum, primo quoque tempore præpositos attribueret, deindè sanctum inviseret Româ reversum: Quin, inquit alter, priùs adimus ambo pariter Galganum, ut faciliùs, feliciùsque postea negotia explicemus. Annuit Volaterranus, iterque arripiunt. Cujus, si qua incidisset, levabant molestiam continentibus de Galgano sermonibus, deque Numinis irâ, quæ per eos dies in Sancti conspiratores grassata erat. Dum pergunt illi; interim supplex, oransque sanctissimè moritur Galganus. Eò delatos, nova statim incessit religio, delapsaque è cœlo voluptas. Mirùm enim nemus afflabat odorem, qualem nunquam se hausisse meminerant. Tuguriolum itaque lætantes succedunt, conspicanturque hominem cui vix cohærens obducebatur lacerna ante gladium saxo prægrandi altè defixum; cujus infrà capulum, manubrium crucem effinge-

ge-

geret, nixum genibus, pallidâ facie, obſitâ, incultâque comâ, vix erumpente barba, junctis complicatiſque manibus, adeòque evibratis in cœlum oculis, ut profundam extaſim pati putarent. Quamobrem nè quam oranti afferrent moleſtiam; etiam communi abſtinebant, ut fit inter amicos, ſalutatione: ſibique invicem ad aurem immurmurabant, exſpectandum eſſe, donèc ſibi redditus amicorum ad ſe adventum poſſet advertere. At cùm plus æquo videretur orare, (ut eſt cujuslibet rei cupido moræ impatiens) pedibus perſtrepunt, non movetur: complodunt, non advertit: ſubmiſſiùs vocant, non exaudit; elatiori voce ſalutant, mutuo non reſpondet officio: manum admovent fronti, calore defectum inveniunt. Denique cùm omnia experti, ultimum obiiſſe diem intellexiſſent, haud temperârunt à lacrymis viri graves, palàm querentes non meruiſſe ſe, poſtremum ad cœlum abeunti præſtare obſequium. Dum igitur quererentur, dumque de efferendo corpore agitarent ſermones: tres Ordinis Ciſtercienſis Abbates Caſæmarii, videlicet, Foſſænovæ, & alterius Monaſterii, cujus nomen intercidit ſcriptoribus, aliique Monachi quamplures inſperatò adveniunt, ſalutatiſque Epiſcopis, narrant, cùm è Gallicanis, ſuique Ordinis generalibus Comitiis Romam reverterentur, Tyrrenumque appuliſſent ad litus, illùc denique cum ſine duce viam auſpicarentur, fuiſſe errore ſeductos; proindè orare, ut miſerati devios, certum viæ indicem darent, quò rectâ Romam contenderent. At Saladinus complexus homines, docuit nullo errore viæ illùc fuiſſe delatos, ſed divinâ providentiâ adductos, ut honorificentiori pompâ ſancti ſui corpus poſſet efferri. Igitur aucti in funus hâc honorariâ manu, Deum magis in Sancto ſuo collaudant, quàm vitâ functo inferias celebrant. Cùmque Ciſtercienſi cucullo indutum, ac propemodum poſt mortem Ciſtercienſem Monachum factum, ante ſpatham,

Ex divinâ providentiâ Ciſtercienſium error.

quam in crucis signum orandi causâ sibi vivus erexerat, sepelissent Galganum: persuasione Cistercensis Abbatis nè sub dio sacrum maneret cadaver, in honorem Sancti sacellum ædificari est cœptum. Quod exundantibus posteà tùm privatorum, cùm principum virorum opibus, in templum sanè visendum, Cœnobiumque coaluit. Hoc illud Monasterium est, quod attributum Cistercensibus usque ad Julii II. Leonisque X. tempora, & deincèps monasticâ disciplinâ floruit, ac sanctitate: & tunc quidem, cùm indè Septimianæ labanti rei suppetiæ mitterentur, excesserat recèns è vivis Jacobus è Montero oppido S. Galgani Monachus planè sanctus. Hic ille est, quem adeò ingentia divinæ gratiæ munera exornaverant, ut fusus in preces, aspectabili Domini præsentiâ sæpissimè frueretur. Huic (ut in vitâ S. Dominici autor est Surius) cùm ex D. Dominici instituto nobiles alumni duo, ejus Ordinis progressus, (cujus adhuc recentia cunabula erant (impensiùs commendassent; ità apud Deum ejusmodi causam ardenter peregit, ut ab ipso Domino edoctus quasdam precum formulas sub sacrificii initium ad id recitandas sanctissimè procuderit. Coluit verò adeò sanctum Monachum IX. Gregorius, ut quas ediderat preces Apostolicâ autoritate firmatas voluerit: Romamque sæpissimè accitum de rebus gravibus, trepidisque è publicâ re Christianâ consuleret. Denique eò apud Deum processerat gratiæ, ut concionatores Dominicanos, quos juvabat precibus, audiebatque libenter, bis conspicatus sit, quicquid enarrarent ad populum ex explicito libro, quem Deipara Virgo manu præferret, depromere. Nec in vivis tunc quidem deerant qui ex eâdem scholâ haud absimili sanctitatis laude florerent. In quibus præcipuè Forensis erat, nobilis Gallus, ac eruditione clarissimus, quem ad Septimianam rem erigendam universus Cistercensis cœtus sapientissimè destinaverat. Is non

Sanctus Jacobus Cistercensis.

Forensis clarissimus Monachus primus Septimi designatus Abbas.

non detrectans subire onus ad omnem interim virtutem se componebat, ut curiosæ, nihilque dissimulanti civitati, omniumque exspectationi haud impar spectaculum esse posset.

Ceterùm gratiorem de Cisterciensium adventu effecerat exspectationem, quæ, per id tempus inter Florentinos, atque Senenses, Jacobo Cisterciensi Cardinale agente pax fuerat consecuta. Quæ item eò jucundior visa est, quò acerbioribus odiis decertaverant. Siquidem cùm è Senensium finibus suas Florentini copias abduxissent graviori alibi impliciti bello, ut quasi ex intervallo cùm Senensibus imagine pacis revocatâ, aliquando tandem consenescerent odia; Senenses, qui sibi in superioribus bellis iniquiorem fortunam tulisse videbantur, tacitæ pacis consilia aversati, militisque absentiam, suam gerendæ rei opportunissimam rati occasionem; Politianum Florentinæ ditionis nobile oppidum, tanto impetu aggressi sunt, ut immeritam, ac nil tale timentem civitatem per summum dedecus muris nudarent. Exarsêre scilicet ad inexspectatæ cladis nuntium Florentini, contractisque copiis ad ipsas usque Senarum portas infesto agmine procurrerunt; eorumque suburbia injectis facibus concremârunt. Juvit prosperè pugnantes Comes Ubertus tùm Portus Herculis, tùm plurimorum, quæ Tyrreno litori adjacent oppidorum non ignobilis dominus. Hic non semel populi Florentini clementiam, ac spectatam virtutem in armis expertus, adeò eorum publicæ rei favit, ut, cum virili stirpe careret, populum Florentinum instituerit heredem. Interim quotannis S. Johanni Baptistæ festo die, missâ tributi nomine pereleganti cervâ, cujus tergum purpurea lodicula gemmis auroque distincta contegeret, & incorruptæ suæ fidei rarissimum reliquit exemplum, & effusæ in omnem lætitiam civitati, jucundum, quoàd vixit, spectaculum præbuit. Verùm (ut sunt invida ingenia

Belli causæ inter Florentinos, atque Senenses.

nia hominum, alienamque fœlicitatem ſuam arbitrantur miſeriam) hunc aliquando venantem inſidiis interceptum trucidârunt Senenſes. Sed chari capitis cædis, Florentini illicò adfuerunt ultores. Immiſſo ſiquidem prædabundo milite, ita Senenſem agrum ferro, flammâque vaſtârunt, ut qui ea paſſi ſunt per id temporis triſte humanæ calamitatis, variantiſque fortunæ aſpectantibus documentum præbuerint. Sed dum alienis cladibus impotenti iræ Florentini indulgent, ad forum vetus altiſſima quæque ædificia ſubito concepto igne longè latéque flagrârunt; adeòque ſeſe attollentes debacchabantur flammæ, ut diceres, Senenſes miſeriarum ſuarum habuiſſe Deum ultorem. Ampla malorum ſeges impulit tandem Senenſes,ut miſsâ ad Pontificem ſupplici legatione, per eum (quando ipſi per ſe non poſſent) pacem à Florentinis impetrarent. Apud quem, ut nobiliſſimæ urbis afflictæ fortunæ miſeraretur, queſti ſunt vaſtitatem agrorum, diruta oppida, exhauſtum ærarium, civitatis labefactata mænia, charorum vincula, dejectas, abſumtaſque continentibus bellis civium fortunas, majora à Florentinis in dies impendentia mala: totius denique heu jam flebilis Hetruriæ lacrymas. Quibus motus Pontifex, Jacobum Cardinalem, ſæpè aliàs in tractandis exulceratis animis expertæ dexteritatis hominem, ad ejus pacis ſancienda fœdera, autoritate ſummâ legavit. Qui, ut Senenſes adverſâ fortunâ proſtratos, dejectoſque miti, plenâque amoris oratione ſolatus eſt, bonoque animo eſſe juſſit: ſic Florentinos ſecundâ, proſperâque elatos, acri, totâque ad ſeveritatem compoſitâ terruit; ipsâque incendiorum recordatione, quæ per eos dies, propèmodùm injiciente Numine, in nobiliſſima civitatis tecta graſſata eſſent; indignatione effrenes compeſcuit. Quæ cùm magnâ animi contentione peroraſſet Jacobus (tametſi eò res loci eſſent, ut nil minùs quàm de pace cogitarent Florentini,) effecit tandem, ut ne-

Commoda agendi ratio in utrâque fortunâ.

nequaquàm à pacis consiliis abhorrerent. Itaque cum inter utrumque populum pax optatissima rediisset, non sine Numine accidisse videbatur, ut ex agro Senensi spectatæ virtutis Monachi quasi icti fœderis obsides educerentur in Hetruriæ principe civitate, pietatis cultum sanctissimè promoturi. Vacabat igitur exultanti præ gaudio civitati de pietate cogitare, inque coronis serere sermones, sanctos ex agro Senensi adventare Monachos, qui vix cibario pane, potuque frigidæ vitam tolerarent, quibus esset pro lecto humus, pro somno vigiliæ, pro otio labor, pro lætis, jucundisque rebus una divina laus. Ob ea ergo, quæ vulgò memorabantur, unus Cisterciensis Ordo in totâ civitate, unus omnium sermo, una fabula erat: itàque ad id exarserant desiderio animi, ut quod intercedebat temporis, nullum unquam finem videretur habiturum.

Forensis intereà ex omni S. Galgani lectissimo cœtu eos potissimùm Monachos legerat, qui omni virtutum genere cumulati, tanto Ordini jaciendis in Hetruriâ fundamentis, opportunissimi forent. Quos in unum coactos, paterno, lætoque vultu contuitus: *En imus*, inquit, *quando parendum est, pusillus grex uberiores fœtus editurus. Hactenùs nobis ipsis fortassis: nunc & nobis ipsis, aliisque exemplo futuri sumus. Excoluimus ad hanc usque diem, quæ alii plantaverant; nunc & plantandi nobis labor incumbit, & irrigandi, excolendique cura manebit. Ardua sanè res utrumque cumulatè præstare. Sed si exemplorum, precumque, quem modo excolendum suscepimus, seminibus ager seratur, non dubito quin divina gratiâ aurâ fœcundatus feliciori, segetibus brevi niteat ditioribus. Quid enim non moliantur exempla, præsertim si ad unum animorum lucrum castissimè conferantur? Quamquam verò dissimilitudo morum à ceterâ turbâ nos separare debebit; ità tamen quæ nostri instituti sunt,* tem-

temperabimus; ut ostendamus rectè vivendo meliorem quidem nos vitam, quàm vulgus, non tamen ut contrariam sequi. Alioquin quos volumus emendare (quod ipsum præceptum Morali Senecæ placuisse video) fugamus à nobis, atque avertimus: illudque efficimus, ut nihil imitari velint nostri, dum timent, ne imitanda sint omnia. Hic ergo nostrorum exemplorum fructus præcipuus esto, si quæ in nobis alii probant, imitentur & ipsi; & quæ in nobis maximè mirantur, in aliquem usum suum opportunâ derivatione convertant. Hoc si eveniat, non ambigo quin plurimum incrementi ad majorem Dei gloriam per vos capiat Ordo. Accedant & preces conficiendo negotio necesse est. Ut enim exempla magno impetu decidentibus imbribus absimilia non sunt, quòd cùm animorum motum etiam exteriùs cieant sensus; sic rori pulchrè colludit oratio. Ille siquidem sereno, sudoque cœlo tacito illapsu ad latum usque virorem infundit, fœcundatque tellurem: eæ verò quæ solo arbitro Deo funduntur preces, ità occultè agenda provehunt, ut priùs excrevisse sentias, quàm potuerint progressus animadverti. Non ierat ad prælium Moyses, non arripuerat lanceam, non intentàrat in hostem gladium, militem denique peracri non stimulàrat oratione & sublatis in cœlum manibus, totiès urgentibus inimicis intulit clades, quotiès & quandiù erectas in cœlum licuit habere manus. O sanctarum precum efficaciam! ò potentiam orationis! ob id intelligo, fratres, meritò dixisse Chrysostomum, homine orante nil esse potentius. His & nos armis contrà vitiorum monstra pugnabimus; campumque qui modò nobis ad excolendum patet, his imbribus, hocque rore, ut in lætas aliquando Monachorum segetes felicissimè crescat, perfundemus. Nullus ergo ex nobis arridenti, vocantique divinæ gratiæ desit, nullus cesset, nullus cunctetur, & sentiemus profectò, difficillima quæque

que divino auxilio perſici poſſe, quæ quantumvis benè inſtructa, at ſola ægrè promoveret induſtria.

Talibus, de more Ordinis, excitatos, ad decem, & octo è S.Galgani Monaſterio educit Monachos, nullâ aliâ ſupellectili, quàm tunicâ interiori, exteriorique præterea cucullo indutos, precarioque codice inſtructos. Nondùm enim ſub demigrantium Monachorum divitibus arcis, pretioſiſque ſarcinulis deſudaverant plauſtra. Qui munificentiſſimè per aliquot dies ab Ardingo Florentino Antiſtite excepti, tandem Septimianum Cœnobium ingrediuntur anno MCCXXXVI. Gregorii IX. ann. X. Friderico II. imperante. Ardingho verò Florentiæ Epiſcopo, Rubacontio Mandellâ Prætore; Generali Ordinis Bonifacio : XV. Kalendas Julias : Indictione IX. ab Ordine verò condito anno CXXXVIII. Quorum ad ingreſſum tantus omnis ordinis hominum concurſus anteà factus fuerat, ut quos tantoperè ob vitæ ſanctimoniam ſuſpiciebant, quaſi ſublatos humeris deportare velle viderentur.

FINIS LIBRI PRIMI.





NICOLAI BACCETII FLORENTINI

Ex Ordine Cistercienſi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ

LIBER II.



N eâ plenâ aleæ, atque periculi provinciâ, primus Forenſis labor, ad meliorem frugem devios revocare. Siquidèm priſci Romani Pontifices, non ut expellerentur, lapſis adhibebant cenſores; ſed ut eorum lucrum conſtaret, quibus acrior correctionis medicina parabatur. Diù itaque cum conſuetudine alterâ naturâ luctatus Forenſis eſt, adhortari, terrere, circuire verbis, ſtimulare exemplis, de induſtriâ rigorem remittere, lætiùs porrigere frontem; ſenſim modò; modò repentè, cumque jucunditate aliquâ ad ſevera deſcendere, ut ejuſmodi diſparis rei permixtione, amarum deſidioſis virtutis nomen, minùs diſpliceret. Et qui-

Romanorum Pontificum in corrigendis moribus plena pietatis cura.

Correctoris partes.

quidem egregiè piam mentem urgebat ejus victoriæ laus, & præmium, gnarus pulcherrimæ illius contentionis mercedem præter animarum salutem, unam Dei majorem gloriam esse. Nec dubito, virum navum, ac promtum, plures ex iis, qui tunc degebant in Septimo ad rectum virtutis iter traduxisse. Multi certè, cum ejus administrationis auspicaretur initia, ex primoribus civitatis, quos aliquando à recto tramite error vesanus abstulerat, relicto seculo, Monachum professi sunt. Quorum progressus eò fuerunt feliciores, quò nullis vitæ incommodis impellentibus, sed tantùm virtutis amore hujusmodi genus vitæ fuerant amplexati. Etenim cùm rerum omnium egestas semel compulit in Claustra mortales, mirum dictu est, quàm facilè à vitæ illecebris trahi se sinant; eòque impudentiæ plerunque labuntur, ut in humilitatis scholâ (quod non semel Bernardus graviter sanè queritur) fastidiosè superbiant, idque faciunt ardentiori ambitu, quòd his honorum titulis, quos ipsi tantâ animi anxietate consectantur, infimæ suæ conditionis sordes se posse contegere arbitrentur, quas à nobilitate per summam animi moderationem demirantur amplecti. Itaque non me pigebit, semel dixisse, tandiù rem stetisse monasticam, quàmdiù à vitæ commodis ad incommoda Claustri transitum est: tùm verò maximè disperiisse, quando indigentia vitæ, cùm Claustri saginâ commutari est cœpta. Quamquam nec claritudini generis interim sua vitia desint, si à perfectioris vitæ studio semel contingat desciscere. Languet enim primùm; mox ceteros fastidit superbiùs; tùm seculi potentiam ad fastum ostentat, ut exarmatarum in Claustro legum autoritatem deludat. At si utrique suum pondus adsit, sic ut illa conditionem, undè digressa est, semper attendat, hæc verò semel suscepti propositi nunquam obliviscatur; spes erit fore, ut altera alteri commodo sit, & saluti; utriusque verò consortio, monastica res ad mira-

Paupertas in claustro ambitiosa, proclivis ad commoda.

Nobilitas fastidiosè superba.

raculum provehatur. Ergo Septimiana res plerisque sub Forensi nobilibus profitentibus, adaucta & constituta est. Quorum modò si velim inire numerum, nullus hujus scriptionis sit finis. Quando verò id pronum, ac facile esset; ut tamen vitarem, mihi planè persuaderet, quòd semel professus sum, illustrium virorum res præclarè gestas narrare; haud verò nudam nobilitatem proferre. Consulant Ordinis Nomenclatores, qui volent; profectò reperient, ad monasticam laudem ita nobilitatem Florentinam per ea tempora exarsisse, ut vix tepidiori hoc nostro seculo videatur credibile. His in novo, ac peranti-quo Cœnobio clarissimæ Cistercienfi familiæ fundandæ jactis fundamentis, suæ præfecturæ integrum annum Forensis vix expleverat, cùm importuna, pertinacique febri extinguitur. Gallus incomparabilis sanctimoniæ exemplis, & qui ad Ordinem summâ cùm laude proferendum unicè factus videretur.

Jam Septimiani, importunâ morte prærepto Parenti justa persolverant, cum præsentis doloris lacrymas futuri Præsulis eligendi cogitatio detergebat. Omnium enim animos ea suspenderat cura, quem sibi potissimùm in ducem ac præceptorem deligerent. Siquidem jus eligendi penes cujusque Monasterii cœtum ex præscripto Chartæ charitatis per id temporis erat. Est autem apud Cistercienses Charta charitatis dilucida quædam, ac simplex lex, quæ nudis, brevibus, expressisque verbis de electionibus faciendis, deque comitialibus rebus cavebat, eaque omnia lenissimè imperabat, quæ purum, illibatumque ordinem vitæ sanctioris præstarent. Quæ ideò Charta charitatis dicta est, quòd in domo Domini plures unius moris Monachos videretur colligare. Haud verò incassùm operam collocaverim, si ipsissima sanctionis verba hìc adscribam.

Jus eligendi Abbatem olim apud Monachos.

Apud Cistercienses quid Charta charitatis?

Siqua domus Ordinis nostri Abbate proprio fuerit de-

destituta: major Abbas de cujus domo, domus illa exivit, omnem curam habeat ordinationis illius, donec in eâ Abbas alius eligatur. Ex præfixâ die electionis, etiam ex Abbatibus, si quos domus illa genuit, advocentur; & consilio, ac voluntate P. Abbatis, Abbates, & Monachi domus illius Abbatem eligant.

Ex quibus sanè verbis liquidissimè constat, ad S. Galgani Abbatem destituti Cœnobii curam, electionemque, unà cùm Monachis ritè celebrandam pertinuisse. Ceterùm ut sibi Abbatem deligerent, privatis Monachis is tantus honos per id temporis habebatur, sive ut ei, quem sibi ipsis ultrò constituissent in principem, parèrent lubentiùs, sive ut is qui ex toto corpore seligebatur, ut caput deindè, membra planè sua potiori charitate complecteretur; sive denique ne in religioso statu ea perfectissimæ Reipublicæ pulcherrima species disperiret, nève paucorum potentia vergeret in tyrannidem; si, cujus imperium nunquam experturi essent, privatorum cervicibus, quemcunque voluissent correctorem imponerent.

Ordinationis autem Abbatis is ritus erat. Primùm præibant preces, deindè cum ad subsellia ventum esset, tùm is qui præerat, sui officii monebat electores, orabatque ne aliquid darent gratiæ, neve privatis affectibus obnoxii præcipitarent inconsultò suffragia; ceteras potiùs spectarent artes, quàmque in iis exercendis, opificibusque seligendis curiosi, morosique mortales essent, qui nec navi, qui pulchrior sit, sed qui peritior nauclerum attribuunt, nec ad curationem, amiciorem adhibent medicum, sed qui feliciùs ægros medendo levet, nec scholæ demùm ditiorem, sed qui magis doctrinâ valeat præficiunt, audiuntque libentiùs: hoc ipsum requirere præclaram illam aliorum instituendorum artem præceptorum plenissimam, & in quâ periculosiùs peccatur, ne si con-

contigiſſet obvio cuique inconſultò, ac ſine delectu demandari inconſultiùs pereundo, temeritatis pœnas darent. Quamobrem reſpicerent ſeipſos, publicam ſalutem non deſpicerent. Quæ cùm ſemel & iterùm inculcaret ardentiùs, animadverteretque motum eſſe factum animorum; tùm demùm concionem ſolvebat; diverſique omnes ſummo ſilentio dilabebantur, ſchedulíſque inſcripta nomina, ut cuique libebat, clavi concluſâ, ſupernéque modico foramine hianti confundebant in urnâ; mox reſidentibus cunctis, duorum gravium, ac veracium virorum prodenda ſcrutinio, in quem ſcilicet frequentiora coiiſſent ad victoriam. Bone Deus! Quis temporum illorum in eligendo candor! Quanta animorum quies! Qui virtuti ubicunque ſe proderet honorifici occurſus! Nullæ ibi ſeceſſiones, rixæ nullæ, nulli alteri inſidiando habebantur conventus, nullæ in alterum, ut poſthaberetur, jactabantur criminationes, non plus æquo extollebatur ullus ut ad gratiam eligeretur, una virtutis commemoratio optimo cuique favori erat, atque præſidio. Ergo cùm, effuſo vaſculo, ſortem nudaſſent, Abbatem renuntiarunt Jacobum candidiſſimæ probitatis virum, ſæpèque aliàs minoribus Ordinis exercitum muneribus, cuique tutò poſſet tantæ molis ſtructura eo tempore demandari. Hunc, cùm diu præfuiſſet, opinio eſt, interiorem Septimi ſtructuram ad Ciſtercienſium uſum vili tamen ſchemate, inelegantique architectonicæ ordine intorſiſſe. Habet ſiquidem momenti plurimùm, ad Ordinis munia ritè obeunda, quâ ratione Cœnobium quodque conſtructum ſit. Ut enim eæ, quæ ad bellicum uſum excitantur machinæ, ſi à regulâ militari tantiſper deflectant, non tàm uſui militi, quàm impedimento ſunt; ſic ad alterius inſtituti exædificata Cœnobia maximum in diſcrimen Ordinis Ciſtercienſis peregrinos plerumque mores invehere ſolent. Mores autem priſcorum Ciſtercienſium ad

lineam

lineam veterum ædificiorum qui fuerint, haud abs re erit hîc breviter recensere.

Primævæ Monachorum Septimiani Monasterii morum sanctimoniæ descriptio.

Portam à claustro, brevis ille quidem, sed tamen in longum porrectus fornix discriminaverat, ne introeuntes claustrum, cujus severiora jura silentii sunt, statim admitteret. Aditui Janitor perpetuò affixus erat, ne si abesset, vel adeuntes frustrarentur responso, vel necessitate coacti majori cùm strepitu fores pulsarent. Piaculum erat, ibi cùm præstolantibus supervacuos, otiososque habuisse sermones. Leniebat verò responsi moras, ubi protrahi contigisset, Projanitoris opportuna prudentia. Eò accessisse Monachos, laxati per summam inertiam animi indicium erat, quòd ad semitam, quam seculares tererent per noxium otium aspexissent. Apertam, perviamque prostare januam, ubi nulla necessitas cogeret, tam indecorum esse arbitrabantur, quàm homini hianti ore esse ubi loquendum, ridendum, vel cibus capiendus non esset. Nulli mulieri ad id loci, vel colloquendi, vel corrogandæ eleemosinæ gratiâ ullo unquam tempore patebat accessus. Nullæ ibi otiosorum coronæ, nullæ è trivio haustæ inaudiebantur fabellæ: facilè enim credebant, cœtum omnem infici posse, si quid noxium per Janitoris neglectum portæ limen irrumperet. Ergò duo omninò, quorum alter vegetioris, alter provectioris ætatis esset ad id munus adhibebantur; ut dùm alter ultrò, citròque responsa circumferret, altero curante fores nil penitùs negligeretur. Cavædium, quatuor in quadrum se complectentes sepserant fornices. Qui ubi præfinitis spatiis efformato arcu ad hauriendum diem turbinatè desivissent in pedes, ex candido marmore binis, parvisque excipiebantur columnis! Cujus tanta solitudo, religioque erat, ut qui se illùc penetrassent; admonerentur, illîc secreto illapsu beatorum requiem, concordiamque morari. Locus demùm adeò perpetuo silentio consecratus erat, ut nec

Alti, egregiique silentii religiosa observatio.

nec ibi vel breviter loqui, vel replicatis greſſibus animi gratiâ inambulare, ſed nec hiſcere quidem liceret. Vox ibi ſolùm ſacræ lectionis, convenientibus ad audiendum ceteris, & hoc præfinito à regulâ tempore, perſonabat. Siquid accidiſſet, quod efferri voce oporteret, propior clauſtro receſſus ſubmiſsè loquentes excipiebat. Exordium enim cunctarum virtutum in uno ſilentio collocandum ſapientiſſimè arbitrabantur. Quare nil mirum, ſi cùm locutioni objeciſſent unius anguli fines; ceteram Monaſterii laxitatem ſilentii jura tenerent.

Regularis culparum inn capitulo correctio.

In eâ verò parte clauſtri, quæ vergit ad orientem Solem, ſubſellia aptiſſimo loco diſpoſita erant, in quo tanquam monaſticâ in curiâ certis diebus, ſtatiſque horis, poſt recitatam Inſtituti legem ſeveriſſimè Monachi ſeipſos ad calculos revocabant. Siquidem tùm rei, tùm actoris perſonam pulchrâ commixtione induentes, quæ minùs cautè excidiſſent, prodebant, accuſabantque, æquoque animo ab eo, qui præſidebat, tanquam à judice pendebant, erratorum quaſcunque inflixiſſet pœnas volentes daturi. Si quid autem, obſiſtente pudore, aperire omiſiſſent, vel ſimulatè texiſſent; ſi illud ipſum per alium deferretur: inſtitutâ illicò peremtoriâ quæſtione, occultati criminis pœna amplior ſtatuebatur. Perſuaſum enim illis erat, haud reliquo corpori benè eſſe poſſe, ubi aliquod membrum qualiſcunque languor tentaret.

Monachorum in proferendâ propria ſententiâ, juxtà preſcriptum Divi Benedicti regulæ, libertas.

Ad hunc etiam locum aliæ, quæ ad optimum Cœnobii ſtatum ſpectarent, deferebantur cauſæ; ibique ſummo ſilentio Monachi conſidebant, de quâcunque propoſitâ re dicturi ſententiam. Eam verò rogabantur ex ordine; itàut qui in religioſo ſtatu præcederet, primus etiam quod è publicâ utilitate eſſet, decerneret, cum Abbas priùs fuiſſet præfatus, edixiſſetque conveniendi cauſas. Qui tamen ita rem totam explicabat, ut quod ſibi ipſi libuiſſet, ideò deditâ operâ ſupprimeret, diſſimularetque;

ne ceteris liberiùs ferendi suffragium adimeret libertatem. Quin hortabatur, liberè dicerent publicam rem opportunis suis juvarent consiliis, omnium rem agi, non privatam; quicquid majori, meliorique parti fuisset visum, id optimum judicandum fore, rejiciendum verò quod improbassent plerique. Ceterùm religio loci monebat, ut deliberanda tantùm, non etiam paucorum privato consilio perfecta, stabilitaque afferrentur; ne ejus simulationis specie quasi pedariæ ceterorum sententiæ viderentur deludi. Itaque cùm non cogerentur, sed lenissimè potiùs rogarentur animi sensa; fiebat ut plurimùm, idque magno Monasterii commodo, ut deliberando, ac ultrò, citròque, omni excluso astu, invicem consilia conferendo, assequendæ rei scopum felicissimè attingerent.

Curæ in providendis Monachis adhibitæ.

Vestium autem promtuarium, quàm instructissimum habebant. Ibi, qui nova sarcirent, vetera resarcirent, nunquam deerant. Ejus officinæ, hujusmodi lex erat, ut inde depromerentur, quæ usui Monachorum futura erant, eòdem, cum vetustati cessissent, referenda, alienæ indigentiæ subservitura. Hinc omnibus una vestium forma, cultusque idem erat; hinc omnis amor habendi, à claustris aberat, exulabatque; exutique hâc etiam curâ feliciorem, facilioremque cursum experiebantur ad contemplationem.

Commune Septimianorum Monachorum in eodem loco quiescentium dormitorium.

Communi item, perviáque omnibus ad quiescendum cellâ utebantur; quam tamen occlusis cubiculis distinguere non placuerat; sed lectulis per ordinem stratam ex præscripto regulæ esse voluerunt. Videri enim & videre; ubi vicissim haurienda, dandaque rectioris vitæ exempla essent, ad omnem moderationem maxima incitamenta esse arbitrabantur; secùs recessum, plerumque licentiam, dissolutionemque comitari: in se enim experiri quemque, ea in occulto, secretóque audere, quæ in alterius

rius oculis vix cogitatione attingeret; multos prætereà ſolitudine diſperiiſſe, quos ceterorum viva, ſpirantiaque exempla anteà ſervaſſent: paucorum admodum eſſe, ſeipſum, poſt Deum, vereri; iiſdemque uti ſeveritatis legibus, ubi nulla cenſura urgeret; gaudere demùm etiam inculpatam conſcientiam Theatro & Circo, mutuiſque nexibus, fauſtiſque acclamationibus coaleſcere virtutes ſolere. Itaque ſanctiſſimi Benedicti eâ de re tranſgredi legem non ſunt auſi priſci Ciſtercienſes. A medio verò cellæ, ſeu dormitorii, ut vocant, unus per gradus, exitus in Clauſtrum ducebat, alter qui calcem loci claudebat, ita templo conjungebatur, ut indè in illud ipſum facilis pateret acceſſus. Lectulos verò ità intervalla diſtinxerant, ut invicem haud impedimento eſſent, ſi quid expoſceret humana conditio. Horum ſupellex, mattula, ſagum, cervical, læna, nihilque prætereà viſebatur, quod mollitiem, luxumque oleret. Inde ad vigilias omnium unus ardor mirabilis. Vix crepitaculum perſonuerat, cum erecti in pedes (quippe veſtiti, incinctique cingulis laſſa ex diurno labore membra componebant ſopore) ad divinas laudes celebrandas ſummâ celeritate, gravitateque currebant. In quibus perſolvendis quis in voce virilis ſonus, quæ totius corporis habitus concinnata majeſtas! Non præ laſſitudine reclive caput excipiebant ſcapulæ, non è fulchris brachiorum in ſellâ horariâ librabatur marcidum corpus, non tædium ſingula membra torquebat, non hàc, illàcque verſabat oculos mentis vagatio, nec otioſa ad aurem aſſidentis inſuſurratio longiorem pſalmodiam fallebat. Quanta verò inerat alacritas, lætitiaque divino conſpectui adſtantibus, qui mentium ad Deum pernices volatus, quas liquidas inde voluptates non exhauriebant! Tàm acre autem pietatis ſtudium Septimianorum, piorum liberalitas per ea tempora juvare viſa eſt, cum laxare, exornareque templum, aggreſſa eſſet. Sumtuo-

Aſſidua, vigilantiſſimaque divinarum precum frequentatio.

ruosum planè opus, atque difficile; sed ut ingenti ausu, opibusque incœptum erat, sic pari animi magnitudine brevi absolutum, atque perfectum est: sic, ut indè Monachis nostro seculo propioribus tantùm animi factum sit, ut præalto elegantique fornice majus altare contexerint, conductáque Dominici Grillandarii hominis scientissimi pingendi operâ, illinc D. Benedicti, hinc S. Bernardi, qui Salvatorem Jesum pectore tenùs è nubibus prodeuntem adoraturi supplicibus junctis manibus procumbunt in genua, imaginibus condecorarint. Quorum liberalitatem multò posteà imitatus Guillelmus Benozzius Monachus Septimianus & Florentinus, sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento ex ligno, auro, ceruleoque colore protecto liberalissimè parvum templum erexit, munus illud quidem antiquæ loci religioni impar, posteritatis tamen laudibus prosequendum, si Monachi, ejusdemque privati piam voluntatem perpendas, ac censum.

Septimianorum Monachorum plena cultu & munditie paupertas.

Etsi autem mores, ritusque Ordinis Cisterciensis certâ ratione exædificata ædificia videbantur juvare, sed tamen prisci illi haud emasculatæ virtutis Monachi procul habuerunt omnem nitorem, superbiamque murorum, quòd eâ laxitate, splendoreque tolli incolentium animos putarent, superbiam ali, christianam demùm moderationem perire. Ipsi vidimus quanto squalerent horrore Septimiana sive atria, sive triclinia, sive ad quiescendum reclinatoria, quæ ferarum potiùs cubilia, quàm hominum domicilia viderentur. Splendebat tamen in iis, triumphabatque facillimæ egestatis securitas, itàque omnia ad munditiem facta erant, ut scires, fortes animos aspernari luxuriem, non marcidâ, vilique rerum suarum incuriâ jacere. Exercebant autèm hujusmodi vitæ rigorem laboriosæ inprimis, nec temnendæ artes. Constat enim usque Jacobi tempora, & deinceps, Cisterciensibus institutum fuisse, ut suis ipsi manibus colerent agros. Neque

que tamen una ars omnibus erat, sed aliæ aliis pro cujusque ingenio, institutione, communisque vitæ commodo. Sex autem in Monasteriis Cisterciensium præcipuè viguisse, quæ adhùc exstant vestigia, non obscurè declarant, Agriculturam scilicèt, Textoriam, Sutoriam, Phrygioniam, Scriptoriam, atque Picturam. Et quidem agros excoluisse Monachos, vel impellente pauperie, vel virtutis amore, ex ipsâ regulâ habemus; multaque Cisterciense exordium depromit exempla, quibus doceamur, id avidissimè, ac jucundissimè à Monachis fuisse actitatum. Certè jam pridem à priscis Eremicolis morem fuisse usurpatum, nullus dubitare potest, nisi qui in Patrum lectione parùm versatus sit. Siquidem ad versandas glebas, ceteraque agrestia opera præstanda Rusticum Monachum hortatur Hieronymus, si solitudinis, vitæque monasticæ vellet degustare dulcedinem. *Cur tu* (inquiens) *in usus tuos successura non præparas? vel fiscellam texe junco; vel canistrum lentis plecte viminibus: sarriatur humus, areolæ æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ: hîc pulcherrimorum versuum spectator adsistas:*

Labor manuum in Septimiano Monasterio frequentatus.

Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit: illa cadens raucum per lævia murmur
Saxa ciet; scatebrisque arentia temperat arva.

Altiores autem, magisque arcanas causas, præter jucunditatem, subesse rei, haud ambigo. In primis enim à Monachis exerceri cœptam agriculturam gratiâ tuendæ, conservandæque paupertatis crediderim. Id innuisse Hieronymus, ut suprà memoravimus, visus est, cùm inquit, *cur tu in usus tuos successura non præparas?* Illam enim veram, germanamque paupertatem prisci arbitrabantur, quæ opere laborioso sibi panem quærebat. Hinc ille:

pa-

. . . . *panem quæramus aratro*

Qui satis est mensis. . . . .

Hinc Monachorum parens: *tunc verè Monachi sunt, si de labore manuum suarum vivant, sicut & Patres nostri, & Apostoli fecerunt.* Itaque quæ major, nudiorque paupertas esse potest, quàm tuis ipse parare manibus, quibus utcunque toleres vitam, quorum alioquin alienâ conductâ operâ potiri potuisses? Hæc præter fructum, quem labore parit, *quæstum nullum novit, maximèque disjuncta est à cupiditate, cumque officio conjuncta;* ut post Aristotelem, dicit sapientissimè Cicero.

Alit prætereà mirum in modum confidentiam hominum ergà Deum. Cum enim rusticanæ res, ejusmodi sint, ut eas non ratio, neque labor, sed incertissimæ res, venti, tempestatesque moderentur; impendaturque quotannis labor, certusque sumtus ad incertum eventum & casum, quis non videat hanc artem spe quâdam, quæ à Deo ipso tota dependeat, teneri, cujus est mala naturæ avertere, moderarique? Nec inde moderationi animi parùm accedit momenti. Dum enim aratro scinditur terra, dùm implicitis sentibus perpurgatur ager, vix potest fieri, quin homini Christiano, nedùm Monacho, humanæ conditionis occurrat miseria, obversetur que ob oculos, quæ immortalia originarium peccatum illud corruperit, coegeritque reprobæ terræ, sudore, ac labore fluxam experiri fidem, si ærumnis obnoxiam vitam utcumque producere velit. Prorsùs, *causa laboris sese nobis offert in labore* (ut loquitur Bernardus) *ut ipsa nobis pœnam, quam patimur, repræsentet.*

Sed & in agricolatione, virtutem obedientiæ, quam ad mores utiliter traducamus, cogimur intueri. Illa enim virtus haud exercitæ terræ videtur absimilis, quæ nunquam recusat imperium, nec usque adeò ingrata est, ut non cum ampliore plerunque fenore, quod acceperit, red-

reddat. Jam quantæ jucunditatis sit laborando, sibi ipsi sufficere, elegantissimè insinuavit Propheta, cum diceret: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit.* Est enim quædam felicitatis pars, labori respondere proventus, quos honestissimis sudoribus conditos, suaviores experiaris. Textrinam porrò nostri Ordinis homines habuisse domesticam, cùm multa docent, tùm vel ipsum continens bellum, quod gerebant cùm otio, indubitato fuerit argumento. Est enim illa ars ut commoda, vitæque usui peropportuna, sic ad diuturniorem laborem pertinere videtur. Siquidem dùm vellera demuntur ovibus, dùm sordida, complicataque virgarum ictus, castigant, moxque demulcet oleum; dùm pensa volvente rotâ ducuntur in fila, dumque hæc iterum parvo inclusa textorio lembo, per ea quæ licia suspensa habent stamina percurrunt impellente magistro, mutatisque vicibus, illa supernè, hæc vero infernè ad ictum pectinis iens, regrediensque filum insidiosè, arctéque concludunt, excrescitque tela in opus, seculum penè decurrit, haustæque difficultates admonent subindè textorem, quàm olim nuda innocentia pulchra, tutaque esset; cùm tuendæ, tegendæque originariæ labis turpitudini vix tot modò labores sufficiant.

Ad sutoriam verò quod attinet; ob duas causas in Monasteriis exerceri solitam arbitror: tùm scilicèt ut expensarum compendio in calceandis fratribus uterentur, tùm ut eorum, quæ divendiderant pretium in ceterarum rerum, quæ deessent usum, utiliter transferretur. Ità tamen consuendis calceaminibus, quæ emporio destinabantur, operam dabant, nulla ut conderent muliebria, seu ad ornatum, ad elegantiam, desultoriæ, amatoriæque arti subservitura, hoc est, ità oculata, ut quæ infra talos est, partem pedis nudarent, vel adeò artificiosè concisa, ut versicolores caligæ proderentur, aut ad simulandam pe-

pedum brevitatem in quadrum ſummitatem ſecarent, vel denique Gallicè acuminata, quæ altiori ſub calcaneum gradu ad inceſſui conciliandam gratiam ſuffulcirentur: hujus, inquam, generis calceamenta, tenuiorum tantùm uſibus deſervire contenti, adeò è Monaſteriis eliminaverant, ut vel aſpexiſſe, nedùm effeciſſe, luxuriem deputarent.

Jam Phrygium opus quò magis junctum ſilentio erat, acrioremque curam expoſtulabat, eò magis apud Ciſtercienſes viguit, diùque in pretio fuit. Exſtant ejus artificii immortalia monumenta in noſtri Ordinis Monaſteriis adeò ſine fuco artis conficta, ut quæ præteritorum ſeculorum injuriam hactenùs defugerint, conſecuturæ non videantur ceſſura. Unum è multis excipiam, quòd ceteris longè præſtet; & quid in eâ re per id tempus Ciſtercienſes potuerint, abundè declaret. Impluvium igitur inter cetera, quibus in ſacris utimur, Deiparæ Virginis triumphum à tergo habet, quo rediviva lætiſſimè ad cœlum vehitur. Sepulchrum apertum eſt, jacetque, quo claudebatur, lapis, quocunque regredientis ad vitam impetus illum abſtulerat. Tametſi autem conditorii hinc indè eminentia latera inferæ partis proſpectum omnem ademtura viderentur, ità tamen doctiſſimus Phrygio obliquè contuentibus objecit opus, quóque fucum faceret oculis, compendio decurtavit, ut ima pars, quâ furtivè lux feriebat, conſpicuè ſubſiliret, adeò verò virens, ac herbida, ut vernans floribus ſolum fidem velle facere videretur, illìc totius virginitatis decus requieviſſe. Ceterùm illa, cùm ſepulchri cuſtodia elapſa eſſet, ità levitate ipſâ immortalis corporis, animique contentione ferebatur in cœlum, ut junctis manibus, verſiſque, quò tendebat, ardentibus oculis priùs votis voraſſe gaudia, quæ extrà omnem mortalitatem, ac labile tempus potitura erat, crederetur, quàm illò perveniret. Ardebant purpurâ genæ,

quæ

quæ ſenſim illuſtriori perſpicuitate fulgebant, quo Soli, Sideribuſque eundo fiebat vicinior. Aër purior, ventique tranquilliores, quò liberiori cœlo volabant, ſolutæ, vagæque, ac ſuâ ſponte tremulæ comæ adblandiebantur. Quam, diurnæ luci, neſcio quid obſcuritatis præ illâ exprobraturi, modò latiùs, ſublimemque pandebant, modò deprimebant ad ubera, quò ea mixtura auri pretioſius pectoris ebur, pulchriuſque pareret. Jam veſtis ità toti corpori ancillabatur, itáque inhæſerat, ut quâcunque eam irrequietus ventus impelleret, abeunti ad ſuperos humano faſtigio majorem conciliaret majeſtatem. Neque honorarii famuli deerant, Reginæ ſuæ celerrimis officiis obſecuturi. Agmen alatorum puerorum erat, qui nubem, quæ triumphatricis Virginis radios proximè invidebat mortalibus, nudi inſederant: quorum ex illâ alii eminebant ad pectus, alii ad ejus triumphi contemplationem vix exeruerant caput, illos virgineæ pulchritudinis defixerat admiratio, attonitoſque reddiderat: hic ad citharam lætius Epinicium carmen accinebat triumpho; honeſtiſſimâ alter, ac plenâ decoris ſaltatione in lætitiam effundebatur: alter librato corpore pennis non ſine riſu humilem, jacentemque terram cum toto auro ſuo deſpiciebat, notatáque digito, quæ felix abibat, cœlo tandem ſuum reddi decus gratulabatur, unde mortalibus certa ſpes foret ſalutis. Ita verò arduos montes, mitioreſque colles, quique terram alluit, Oceanum minima figura, ut opifici libuerat, à cœlo monſtrabat abeſſe, ut artificio hujuſmodi meliùs quàm loquendo doceret, ridiculos omninò mortalium fines eſſe, quibus divitiæ, gloria, regna, decus anguſtiſſimè continerentur. Quamcunque rem finxiſſet artifex, nativus ſuus inerat color, aptaque figura membrorum ita conſentiebat, ut mirareris, quod fingebatur, non moveri, non loqui, quando occultiori quodam impetu vitæ, quæcunque artifex imperaſſet, videre-

tur præstare. Non hiulcè fila coierant, nullâ quamvis accuratâ indagine noscebantur punctiones, ita filum filo inhæserat ut perpetuâ colorum serie penicillo depicta putares. Nec suâ pretiositate vacabat artificium. Flexile enim aurum, filoque serico circumductum, lumina, tonosque ditiori extulerat pompâ, ut jam extrà omnem invidiam umbræ se se deprimi paterentur. Quæ, inquam, omnia, acus serica fila ducens, adeò ad vivum expresserat, effinxeratque, ut naturam ipsam æmulando vicisse videretur. Scriptoriam prætereà seu necessitas, seu sciendi aviditas à Monachis jam pridem extorserant. Siquidem ante typos inventos, ubique terrarum penuriâ codicum laborabatur: Scriptorum copia & privatas domos, & illustriora repleverat claustra. Pro quorum diverso studio ingenioque factum est, ut literæ diversas induerint formas, retulerintque figuras. Aliæ enim quadratâ figurâ erant: rotundâ gaudebant aliæ, illæ levi inclinatione, ac quasi instituto cursu proclives abibant, istæ tanquam suo pondere graves desidiosiùs residebant: nonnullas incuriosus, currensque profuderat calamus, commendabatque compendio decurtatas neglecta, securaque celeritas. Quæ omnia genera scribendi apprimè callebant Monachi; adhibebantque præcipuè ad sacras transcribendas preces, quæ in templis recitari solebant. Itaque Missalia, precumque Breviaria, ut vocant, suis ipsi manibus conficiebant. Tùm monumenta Patrum, scriptaque diviniora avidissimè & legebant, & exarabant. Nullius unquam artis, quæ in pretio, quæque honesta, liberoque homine digna haberetur, codex prodibat, quem Cistercienses non exhaurirent calamo, ejus accessione Septimianam Bibliothecam ditaturi. Unde doctissimis, innumerisque manuscriptis voluminibus quàm instructissimam nobis posteris reliquêre, perpetuóque etiam duraturam, si præclarissimo visendóque monumento vis omnis externa, injuria-

que

que iniquiorum temporum abfuiſſet. Scriptores autem, eam etiam laudem vehementiori ſtudio urgebant, ut principes, majoreſque literas minio uſque ad miraculum exornarent. Ars, meâ quidem ſententiâ, multorumque judicio reconditæ ſcientiæ, occultique laboris, quippe quæ nec picturæ præcepta ſperneret, & ita ſcienter colores miſceret, temperaretque, ut nec aër libaret, nec diuturnius tempus tereret; nec ipſa per ſe, potentiori utique vinculo colligata, mixtura ſeneſceret. Exſtant apud nos quingentis, & eò amplius ab hinc annis eo pigmento graphicè depicta non pauca volumina; quorum adhùc color ità vividus eſt, itáque coloribus interlucet ductile aurum, ac ſi modò artifex manum tuliſſet è tabulâ. Verùm hujuſmodi pingendi uſus vel deditâ operâ exolevit contemtus; vel ignaviâ, incuriâque hominum ſenſim amiſſus eſt. Novi nonneminem, qui, ut multum conatus ſit, haudquaquàm tamen hanc iterum expiſcari artem potuit. Etſi enim ejuſdem rationis, ſinceritatiſque colores occurrerent, ſed idonei ſuccini uſus haud hactenùs potuit inveniri, quo quaſi vinculo ſemel membranæ illita diutiùs cohærerent pigmenta. Ab auro verò nulla induſtria, nulluſque labor (quod priſci fecerunt feliciter) diuturnum poterant extorquere ſplendorem: ut hinc jam videre liceat, quo loco hujuſmodi melioris ævi monumenta habenda ſint, ubicunque reperiantur, quæ tàm arcanis pictricis facultatis præceptis perennarent. Viguit hæc nobilis ars, ut mihi ſit veroſimile, uſque ad X. Leonis tempora, adeóque perfecta habebatur, ut vix ei quicquam addi poſſe videretur: ex eo ſiqui in ea celebriores fuerunt, conſtat illos longè degeneraſſe à priſcis. Duo ex Septimianâ familiâ ſub X. Leonis Pontificatum, adeò clari miniatores exſtitere, ut vix unum, aut alterum cum ipſis poſſis componere. Nicolaus ſcilicèt & Vincentius Fortinius, ambo Florentini, ambo Ciſtercienſis Ordinis

probatissimi Monachi. Quos minùs miror à Georgio Vasario in Vitis Pictorum fuisse præteritos, quòd homines claustro dediti publici vel favoris, vel laudis minùs institerint viam. Et Nicolaus quidèm, in Cistello Florentiæ civitatis pulcherrimo Cœnobio cùm multa scripsisset, etiam in plerisque quâ dexteritate minio uteretur, posteris testatum reliquit. Cùm enim priorem literam Psalmi centesimi primi (ut cetera non inferioris industriæ opera silentio supprimam) illustriorem penicillo vellet efficere eam partem, quæ in majusculâ litera D extra circularem figuram jucundissimè oberrat; mutæ poësis audaciâ, licentiáque usus ignotæ nostro Orbi arboris frondes elegantissimè explicasset: depictis varii generis volucribus, quæ delectatæ virore invicem garriunt, adeò festivè variegatum opus exhibuit, ut quid in eo genere desiderent ampliùs vix habeant curiosi oculi. Siquidem ibi superbit Pavo, superbiæque causam, plumeam, oculatamque pompam ostentat, quam statim vel sordes pedum, vel inconditi dehonestant clamores. Stat alibi altero elevato pede cogitabundus, ac discolor Psittacus, mox latiori linguâ humanum moliturus sermonem. Librat verò, suspensumque tenet saxum Ciconia, ut qui lapsis obrepit, vel ipsâ fatigatione arceat somnum, excubiisque sufficiat. Nec garrula, cœruleaque Pica tacet; acuitque subinde ad arborem quasi ad cotem rostrum, ut duriore testâ fructus fatiget, enucleetque. Quàm verò jucundum spectaculum exhibent rapaciores, quæ mitiori ingenio, imparesque volatui, sibi certissimam prædam destinant! Nec magis tuti Papiliones pererrant, qui, quocunque diversicolores alas intenderint, haud ceterarum avium vim possunt eludere. Tarda item visitur Limax, quæ ducibus flexibilibus, oculatisque cornubus domum suam circumferre jussa succo suo vel firmat gressum, vel impellit faciliùs. Risum denique movet, &

qui-

quidem excussum, ceterarum avium ludibrium Noctua; sive tectura maciem tumeat plumis, sive aucupis imitata jocos, quibus priùs ipsa circumventa est, aliis delusa struat insidias, sive denique stolido intuitu, innoxiáque irâ frendens, ridiculosè minetur. Vanus sim, modó si velim omnia, quæ egregiè pinxit, hîc attexere. Sat sit dixisse semel, adeò leporibus omnibus, artisque luminibus totum refersisse opus, ut cùm semel adverteris, oculos ægrè deindè avertas, contemplandóque in eam recèns inventi Orbis partem te putes delatum, cujus benigniori siderum aspectu perpetuò arva virescunt.

Lusit autem pingendo Vincentius Fortinius (ut in Cœnobio Morimundi in valle Ticini opus, quod edidit, abundè declarat) & piè magis, & ad rem propiùs. Cùm enim exordium Missæ Natalis Domini ad recti cantus scitè calculos revocasset; primamque literam Virginei partus, penicillo expresso, condecorasset mysterio; ut ipsam rem agi crederes, non ostendi depictam, ea deinceps parerga adjecit, quæ & rem propiùs attingerent, & celeberrimæ diei religionem foverent. Legerat quippe jam olim à Prophetâ prædictum, parvum Puerum se oblectaturum super foramine aspidum, ingentisque fortitudinis animantia suo versaturum ingenio, tantamque adventus Domini futuram felicitatem, ut nulla, quantùmvis noxia animantia, in homines nocitura incurrerent. Hæc quanquàm non esset nescius, altiorem, quàm verba sonarent, advehere sensum, tamen literæ jucundiorem secutus; ad calcem cervam depinxit fusam in herbido solo, erecto tamen collo ad providendas insidias; ceterùm ita securam, itáque ad quietem compositam, ut eam cùm quadriennis, procaxque puer lacessat, non magis moveatur, ac timeat, quàm si lactanti matri Hinnulus adblandiatur. Ergo sive ille implicitis collo brachiis totum indè suspendat corpus, sive in eam insiliens dorso jacentis in-

incumbat, ſive denique gramineum laqueum collo conetur induere, connivet cerva, immota perſtat, oblitaque celeritatis ſuæ, innoxio puero ſe præbet tractanda, nihilque magis timere videtur, quàm ne timendo gaudium puerile corrumpat.

Opus ſanè jucundum, quodque cum gaudio juſtiſſimas miſceat lacrymas cogitantibus quàm felix ille innocentiæ ſtatus foret, qui Deo junctus, nec ſecum ipſe pugnans, abjecta prorſus omnia ſuos haberet ad pedes, hoc eſt hominis imperio libentiſſimè paritura.

Hujuſmodi ergò uſu minii, quamvis hoc noſtrum ſeculum magnâ ex parte orbatum ſit, jaceatque Scriptorum induſtria, calami aciem retundente facilitate præli; quia tamen præclarum illud inventum in efformando eccleſiaſtico cantu, literiſque majoribus fingendis non uſque adeò bellè proceſſit, ut Scriptorum ſtylus omninò videatur temnendus; non defuerunt hactenùs, nec deinceps, Deo benè juvante, deſiderabuntur, qui ſummâ cum laude calamo fundant exquiſita volumina eccleſiaſtico ritui profutura. Certè ex Septimianis Monachis (adoleſcentibus nobis) duo præcipuè hanc artem ſcribendo maximè exornarunt; Innocentius Pinius Florentinus, & Octavianus Terrenus Laudienſis. Quorum ſtudium poſteà imitatus Ignatius Signorinius, (quem aliquando in diſciplinâ morum me habuiſſe haud poterit pœnitere) adeò, quod urgebat, aſſecutus eſt, ut nullos literarum characteres tranſalpina præla procudant, quos ipſe uſque ad fallaciam oculorum calamo non repræſentet.

Hos multò anteà præceſſerat Marcus Maſſarius è Conſandolo frequenti ad Padum vico laude ſcribendi ſuo ſeculo clariſſimus, cujus nos monumenta aliquando vidimus, adeò variis ſcribendi generibus referta, ut vix credibile videatur, unius hominis manum tot characterum infle-

inflexionibus sufficere potuisse. Nos item cùm hanc nostram de rebus Septimianis Historiam utcumque absoluissemus; ne Mœcenatem aliquem, qui de prælo cogitaret, præstolari incassum cogeremur: repentina imitatione præli, quam nunquam anteà attigeramus, quinquaginta & tres annos nati, arrepto calamo, literis mandavimus; quæ satis nos ex albo Scriptorum, etiam tacentibus ceteris, possit dispungere, dum vel exerrant à lineâ, vel intercedente dissidio dictiones conscindunt: vel modò pares, modò impares concordiam violant, regulamque confundunt. Sed nobis fuit, ut sine tædio, ac commodè possent legi, quæ de nostris rebus cursim, ac succisivis horis procuderamus. Verùm quæ vel ipse scribendo peccavi, vel alii neglexerunt, unius Ferrariensis Hieronymi industria planè delebit, cujus in eâ arte ii progressus fuerunt, ut Monasterio S. Bartholomæi clarissimis suæ artis relictis monumentis, paucos admittat pares, superiorem fortasse neminem.

Ad Picturam quod attinet, supersedeo modò dare quî ejus artis opificio claruerunt, quòd prisci seculi homines magis conati sunt in suum pristinum splendorem Picturam asserere, quàm quod volebant, effecerint. Sed tamen post eam artem illustratam, ex nostris unum, qui meliorum vestigia ne latum quidem unguem transgreditur, tacere non possum, Pacificum, videlicet, è Bononiensi Castello Septimianum Monachum Baccii Bandinellii Florentini memorabilis Sculptoris nobilem alumnum, ejus, inquam, Baccii, (cujus scalpri operâ, Cacus præposterus latro, Florentiæ ante fores Palatii Principis ad pedes Herculis clavam intentantis temerati gregis pœnas daturus procumbit). Hic itaque Pacificus Statuariæ non rudis, peritissimus verò pingendi, multa, eaque laudatissima in Ordinis sui templis monumenta reliquit, quæ plerunque Andreas Sartios, Urbinatesque Raphaëles facilè emen-

ementiantur. Exſtant adhùc ex noſtris, qui cùm honeſtiſſimis natalibus hanc item laudem conjungunt. Quorum, niſi frangantur in curſu, mirifici poſſint ſperari progreſſus.

Mira infirmorum, egenorumque cura, necnon in adventantes hoſpites pietas.

Has verò artes domeſticorum infirmorum cura, pietaſque in exteros egenos, voluptate mirabili condiebat, quæ nunquàm otioſa erat, nunquàm remittebatur; cùm Xenodochium familiare, conjunctùmque Cœnobio Ciſtercienſes ſemper haberent. Itaque certatim omnes lavare pedes, tergere ſordes, everrere quiſquilias, coquere cibos, ſolari ægros, ponere menſam, inferre epulas, ac ſi quem emori contigiſſet, ſupremo demandare officio, precibuſque juvare. Harum tàm egregiæ notæ exercitationum is erat uſus, atque conſilium; ut quicquid peragerent Monachi, ejus omne depelleretur faſtidium; ne ſubiret; ſin ſubiiſſet, ſtatim excuteretur. Cum enim ea ratio monaſticæ vitæ ſit, ut actuoſæ, & contemplatricis vitæ complexu perficiatur, ac coaleſcat, ſitque illud veriſſimum quod Iſidorus alicubi ſcitè, veréque aſſeruit, actuoſam ad contemplantem gradum eſſe, cum inquit:

Actuoſa cum contemplatici vitâ mirum in modum ſociatur.

Qui prius in activâ vitâ proficit, benè ad contemplationem conſcendit: meritò enim in iſtâ extollitur, quia in illâ utilis invenitur: liquidò perſpicitur, cur hæc illam præeat, laborem excipiat quies; negotio ſanctum ſuccedat otium, belli diſcrimen, ac pulverem, ſpes læta prædæ, victoriæque ſubeat. Illud autem agebatur inprimis, ut hujuſmodi certarum horarum indictis laboribus contemplationis deſiderium (ad quam curis exutus animus feliciſſimè rapitur) acriùs ſtimularet occupatione diſtentos. Ut enim id elementorum ingenium eſt, ut non priùs quieſcant, quàm quæ ſibi à naturâ pro dignitate conſtitutæ ſunt, ſedes aſſequantur: ſic humanus animus, cùm pro centro Deum ipſum habeat, non niſi in eo conquieſcere poteſt, acciditque, ut quò longiùs indè divellitur,

tur, tantò ardentius eò redire cogatur, unde discesserat. Itaque cùm externarum rerum occupatio inter animum, divinarumque rerum contemplationem, fit quasi injectum dissidium; fit, ut ex hujusmodi exercitio, contemplationis desiderium quàm maximè exacuatur: exæstuetque anima illa ardentiùs, quam sæpiùs, ideoque molestiùs actuosæ vitæ interpellet tumultus. Quin indè effici necesse erat, ut rebus externis intenta anima quàm minimùm contaminaretur, distraheretúrque; dum ex labore ipso redeundi ad Deum conatus improbissimi, indefessique evaderent. Hùc illam Sponsi ad Sponsam, duram sanè increpationem spectare crediderim: *Si ignoras te, egredere, & abi post greges sodalium tuorum, & pasce hædos tuos.* Quibus nimirùm verbis assuetam contemplationi repellit, abjicitque ad tempus; ut post laborem gratior, suaviorque reditus ad Sponsi sinum exsistat. Amor enim plerumque ex ipsâ rei amatæ facili assecutione, consuetudinéque languescit; cui ex ejusdem difficultate, absentiáque vires accedunt. Hinc Sponsæ ex absentiâ Sponsi pleni anxietatis circuitus illi, intempestivæ cursitationes, querulæ voces, adjurationes, vota, preces; donec inveniret, teneretque quem diligebat ex animo, gerebatque in oculis. Sic semisopiti carbones hinc inspersâ frigidâ, illinc urgentibus follibus, vehementiorem concipiunt ignem, nec secùs ex labore, quasi subditis facibus contemplationis excitatur incendium. Quæ si iterùm ad satietatem contingat dulcescere, castigatur condimento laboris, omnique exclusâ molestiâ, voratur alacritate mirabili; atque utriusque rei mixturâ sincerum, verumque gaudium, quod quidem in hac vitâ potest haberi, iis, quos labor fregerit, comparatur. Contemplationi autem prisci Cistercienses aptissimam supponebant materiam. Si enim unius, ejusdemque cellæ fines cogerent operantes, opusque sedentarium foret; sacræ lectionis occupatis divinio-

res ſenſus inſtillabantur ab uno, cui id ex præſcripto Majorum incumberet.

Triclinium, quod peramplum nactus erat Jacobus, quippe quod duplici columnarum ordine in atrium fornice obductum miræ laxitatis, ac longitudinis protenderetur, haud ſine ſacrorum librorum Lectore inibant. Ita verò verecundè, ac parcè cibum ſumebant, ut diceres, vel ad requiſita naturæ divertiſſe illos, vel more Canum Ægyptiorum Niliacas curſim lambere aquas, ne Crocodilorum, hoc eſt, lautæ gulæ interciperentur inſidiis. Siquid ibi moræ traxiſſent, unâ divinâ lectione detinebantur; quâ ità paſcebant animum, ut vix alimenti ad ſuſtentandam vitam meminiſſe viderentur. Carnium eſus, ceteraque irritamenta gulæ nondùm luxurioſè inducta. Epulas præbebant olera; ſeu, ut lautiùs convivarentur, legumina. Ova raròߛ; ſi autem interdùm: durata ad ignem, ſimplici condienda ſale apponebantur. Vinum benè dilutum aquâ Architriclinus fundebat; cibariuſque panis feſſis, fractiſque labore, mirum in modum ſapiebat. Æquè omnia omnibus, ac ſingulis adminiſtrabantur; ut ne pomum quidem peculiare cuique liceret afferre in menſâ, quo ceteri carerent. Non adhibebantur ad conſilium ſenſus (qui ſecundùm corpus plerunque molliſſimè judicant) cum de valetudine foret deliberandum. Sobrietati non inſidiabantur ad privatas cænulas comparata triclinia. Nulla à mulierculis, ſive Deo votis, ſive affinibus xenia; bellaria nulla; ubique maſculus vigor monaſticus; ubique intacta paupertas; ubique illibata ſobrietas, infractaque moderatio animi. Tanta autem in ſingulis, omnium rerum nuditas eminebat, ut invicem pertinaci conatu certarent, quis in divino obſequio majora præſtaret, & minùs acciperet. Quando verò tantæ ſeveritatis Monachi pecuniolâ oppletos loculos admiſiſſent, occultaſſent; utque noxias cupiditates explerent, profudiſſent: qui

In victu & potu ſingularis Septimianorum Monachorum ſobrietas.

Dives Septimianorum paupertas.

qui siquid, necessitate cogente, usurparent ad usum; magis re, quàm verbis, illud cum Bernardo videbantur verecundè sonare: *Sine his neque vivere, neque Deo servire est; ceterùm quantò parciùs, tantò meliùs*. O mihi exoptata tempora, si redeant! Hanc autem tam egregiam virtutem non honorificis verbis modò, sed factis potiùs, exemplisque spirantibus prosequebatur Jacobus. Cùm enim Septimiani juris essent splendida non pauca, nec contemnenda Sacerdotia; nunquam tamen adduci potuit, ut sui Ordinis Monachis regenda, administrandaque attribuerentur. Monachum enim extrà claustrum facilè sub tonsuræ honestâ, speciosáque facie eò turpius regredi ad seculi vitia arbitrabatur, quò majori vitæ perfectione eadem sibi calcanda anteà destinaverat. Inesse престereà in hujusmodi administratione latentem quandam, subtilemque habendi cupidinem, cujus laqueos, ac tenacissimum viscum, alienæ provehendæ saluti intenta pietas vix semel & iterùm eludat, effugiatque. Subit enim primùm nummulorum amor; mox parentalia pinguiora delectant; tùm litatur lubentiùs, ubi sacrificium piorum eleemosinæ juvent; demùm cupiditate propemodum in crudelitatem versâ, minùs bellè procedere annum putant, quem prædivitum funera non nobilitaverint. Itaque & æquioribus oculis Cœmeterium gibbosum aspiciunt, benéque coli agellum suum deprædicant, quò plura (undè à mœstissimis affinibus amplius exsistat compendium) inferuntur cadavera. Quas, inquam, immites avaritiæ sordes adeò in suis aversabatur Jacobus, ut ex seculo Sacerdotibus (quorum perspecta probitas esset) ea munera præstanda mandaret; cum diceret, satis amplum, quæstuosumque Emporium Monachis Claustrum esse, in quo pressis, reductisque cupiditatis frenis, perfectioris vitæ lucra sectarentur.

Quoniam verò ubi cudebantur, recudebanturque mores, si prolabi contigisset, Generalia Comitia erant,

ad quæ primùm nomine Septimianorum acceſſiſſe Jacobum non eſt dubitandum; operæ pretium facturi ſumus, ſi poſt recenſitos Ciſtercienſium vivendi ritus, de Comitiis dicere inſtituamus; quibus ſcilicet de cauſis quotannis celebrari ſolerent; qui potiſſimùm adeſſent; quæ demùm per eos dies, quibus in unum cogerentur, tanto ardore animi agitarent. Uberem ſcriptionis tulero fructum, mihique ipſi placebo, ſi indè noſtri temporis Monachi dicendi leges,corrigendique mores ſanctiſſimos ritus addiſcant; priſcaque ſecula ita venerentur & colant, ut ab illis vel latum unguem diſceſſiſſe profanum ducant.

Generalium Ciſtercienſium Comitiorum ritus, ac cauſæ luculenter exprimuntur.

Quotannis igitur celebrari ſolita Ciſtercienſia Comitia, adeò notum eſt, ut cum indè in Dei Eccleſiam uberrima commoda redundarent; hoc ipſum nec aliarum rerum Scriptores latere potuerit. Sigonius de Regno Italiæ nobilis Scriptor idipſum teſtatur, aſſeritque, talibus è Comitiis (quæ ipſe Concilia vocat) ea,quæ è Republicâ Chriſtianâ forent, ſæpiùs dimanaſſe. Nullus itaque miretur, noſtri Ordinis Patres, tametſi Provinciis, totiſque diſſitos Regnis, adeò frequenter ad publica tractanda coïviſſe. Tres enim, ut video, eos impellebant, eæque graviſſimæ, ac juſtiſſimæ cauſæ. Vix ſcilicet annos pubertatis digreſſus Ordo; natura ipſa morum: denique eccleſiaſtica, quæ à Summis Pontificibus imperabantur, negotia.

Et quidem recens adhùc Ordo poſtulare videbatur, ut frequentibus imbueretur ad omnem pietatem præceptionibus; auſteriori monaſticæ diſciplinæ aſſueſceret: eidemque oſtenderentur dura & aſpera, per quæ itur ad Deum. Dicebat ſeptimo de Legibus ſapientiſſimè Plato, omnem in totâ vitâ *navigationem rectam futuram, ſi pueritia rectè educata foret*. Quod, ut de adoleſcente naturâ; ſic de quolibet cœtu hominum ſenſim ad virtutem progrediente intelligi poteſt, ac debet. Quare hæc erat ſum-

ſumma Comitiorum, hùc omnes intendebantur curæ, ut rectis ſenſibus euntes juvarent, moderarentur; devios, quâ poſſent ope, retraherent; denique ut ſe ſe prodentes perturbationes, vitiaque omnia radicitùs reſecarent. Hæc enim melioris ſpei initia non dubitabant fore, quin optimi progreſſus, exituſque feliciores conſequerentur. Quanquam enim videbant, id per ſingulos Superiores in ſuo quemque Monaſterio egregiè poſſe præſtari; volebant tamen ut & publicâ autoritate minùs moderata improbarentur: ut ab iis vel improbi ipſi diſcerent temperare. Quæ illi minima non afferebant corrigenda? Quid minimæ labis non perhorreſcebant? Quos illi non ciebant clamores, ſi aliquem à priſcis moribus degenerantem conſpicati eſſent? Num honori velificabant ſuo, vitæ commodis inhiabant, faventibus ſibi palpabant? Nil certè minùs, quippe quibus unius Ordinis puritas, animique ſui cultus præcipuus, ac antiquiſſimus erat. Fungebantur ſiquidem optimi parentis officio ergà pubeſcentem Ordinem; nullis parcebant laboribus: ſudarunt plerumque, alsêre multoties, ut ſecuturæ poſteritati impreſſa veſtigia, quibus inſiſteret, ſanctitatis relinquerent.

Mores item ut ſuâ ſponte concidunt; ſic alterius niti ope neceſſe eſt. Pauci enim jam ſunt, qui cum Agide perditam luxu juventutem ſanctioris vitæ moribus jam facti viri caſtigent: plures verò, qui cum Salomone & Saüle ſanctiùs inſtitutam, ſæpiùs cum turpi commutent. Horologio proinde mores perſimiles mihi videri ſolent. Ut enim pondera in illo in causâ ſunt, cur dentatæ rotæ perpetuo motu ferantur, ad Soliſque libellam horarum ſignum excludant; ſic moribus ſi accedant pondera legum, mirum quanta moderatio inſit ad omnem vitæ partem condecorandam: ſecùs ſi exleges ſint; ruunt in deterius ſemper, indéque oritur magna perturbatio vitæ. Quam ut vitarent priſci Ciſtercienſes, quotannis celebra-

tis

tis Comitiis, hoc eſt, ſublatis legum ponderibus ex præſcripto Regulæ, ac ſi tunc primùm exordirentur, vitam inſtituebant. Quod eò impenſiùs fieri neceſſe eſſe putabant; quòd flos nobilitatis, Reges, ac Principes ſe ſe Ciſtercienſibus in diſciplinâ monaſticâ erudiendos tradidiſſent. Quare ut plerumque nobilitatem rectè etiam inſtitutam, ſubit vitæ pauperioris faſtidium; ſic indè timebatur ille caſus brevi futurus, quem noſtris temporibus vix dignis lacrymis deflere poſſe videmur.

Jam quæ imperabantur, tanta ejuſque molis negotia erant, ut niſi multiplex, & varia Hiſtoria loqueretur, conficta ad jucunditatem fabella poſſet videri. Ut enim tempora illa, quibus Ciſtercienſis Ordo ſanctitate, ac doctrinâ enituit ſub naſcentibus Hæreſum monſtris, maximiſque ingruentibus bellis, quæ Dei Eccleſiam, ejuſdemque paſtores dirum in modum divexarunt, turbulentiſſima fuerunt; ſic eorum conſilium, opeſque per id temporis expetebantur, qui apud Deum gratioſi præcipuè putarentur. Unum dumtaxat de pluribus hîc adſcribere exemplum viſum eſt; ut inde cetera lector facillimè colligat, & nos vera narrare non dubitet.

Quid, graſſante Albigenſium Hæreſi, Ciſtercienſes præſtiterint.

Emerſerat, Innocentio III. Summo Pontifice, quaſi è Lernæo lacu peſtilens Albigenſium Hæreſis, quæ à Comitatu Albigenſi propè Toloſam in Galliis nomen invenit; itaque impietatis vexillum extulerat, ut deterrimæ Sectæ princeps Bernardus neſcio quis nocentiſſima placita ab Innocentio III. per ſummam impudentiam confirmari petierit. Sed nimirùm cum dedecore, ut par erat, repulſam tulit. Admittebat autem illa Hæreſis animarum tranſitus de corpore in corpus, carnis Reſurrectionem excludebat; Baptiſmi Sacramento pondus ſuum abrogabat; Suffragia pro mortuis ægri capitis ſomnia, anileſque fabulas eſſe deprædicabat; altaria denique è templis omninò ſuſtulerat. Hæc ſeptennio ante, quàm ori-

oriretur, Lutgardi nobilissimæ Christi Virgini Cisterciensi in Aquiriâ Brabantiæ Monasterio, Deiparæ admonitu, innotuit. Virgini enim oranti se se obtulit Maria, vultu mœstissimo, cultuque lugubri; itaut cœlestis illa pulchritudo, ut Sol nubibus, utque candor liliorum continentibus imbribus, sic mœrore, squaloréque videretur confundi. Ad quam Lutgardis. *Ecquis tantus mœror, Mater*, ait, *istam tuam gratiarum faciem potuit fœdare?* Ad quam illa: *Qui Christiani sunt nomine tenùs; quique turpissimis hæresibus implicati, Filium meum iterùm conspuunt, rursumque in semetipsis crucifigunt, ac ostentui habent. At tu, ne divinæ ultionis gladius, qui jam evaginatus imminet Christiano Orbi, usque ad internecionem desæviat, adnitere continentibus precibus, septennarioque jejunio*. Quibus illa ità paruit, ut nocte, dieque orationi dedita ad septennium semel in die pane tantùm, cervisiáque toleraverit vitam. Demùm cùm erupisset, grassareturque jamjam pestilentissima lues; missu Pontificis, Henricus Clarævallensis Abbas vir doctissimus, ac sanctitate conspicuus cum honestissimo Prælatorum comitatu, Albigensium errores mucrone doctrinæ ità jugulasse fertur: ut haud minima spes salutis deploratissimis Ecclesiæ rebus per eos dies affulsisse videretur. Sed cùm paulò post (ut intestini morbi ad recidivum maximè proni sunt) ad pristinos rediissent errores; placuit Pontifici, rebelles, ac transfugas persequi armis: missisque copiis, quarum Arnoldus Cistercii Abbas, postea Narbonensis Archiepiscopus Legatus erat & Dux, ita pertinacibus minitatus est, ut si resipiscere vellent, in ipso armorum terrore Arnoldum, absolutum suis numeris Theologum, possent animarum suarum lenissimum medicum experiri. Ceterùm in hâc pietatis plenâ contrà Albigenses, ancipitique luctâ, nullus tulit exitum feliciorem, quàm Petrus Castri Novi item ex Ordine Cisterciensi Montis Frigidi Abbas. Hic, cùm

cùm ingenti animo,ex præſcripto Pontificis,eandem provinciam fuiſſet aggreſſus, aut mori paratus, aut vincere, rem ità vehementi conatu urgebat, alienamque ſalutem ita provexerat ad eam diem, ut brevì caſura tremebunda nutaret impietas. Sed ſceleſtiſſimis quibuſque conſpirantibus, intrepidus, paratuſque ad omnia à Toloſano Comite, in quem, quòd Albigenſium patrocinium ſuſcepiſſet, grave Religionis vibraverat telum;lanceâ perfoditur; morienſque, exemplo Chriſti benè precatus interfectori, ſanguine conſignavit, quod vitâ, verboque docuerat. Hic ille Petrus à Caſtro Novo eſt, qui in Eccleſiâ Dei in cauſis fidei primus Quæſitor fuit, cujuſque incomparabilis fidei ardore ſanctum illud, ac deviis perhorreſcendum Tribunal hactenùs, ut piè creditur, perennat,& viget.

Secutus, quæ ſe læta prodebat, Innocentius III. victoriam eſt; miſſo Jacobo Guallâ Cardinali,cum ſeptem Abbatibus viris lectiſſimis Ciſtercienſibus,quos adeò mors Petri non terruit, ut etiam ad eandem martyrii gloriam æmulandam mirabiliter inflammarit. At cùm in eam rem oppidò intentum Innocentium III. importuna mors abſtuliſſet; Honorius item III. qui ei ſuffectus eſt, ne dilatione gerendæ rei corrumperetur occaſio, ad eam provinciam Conradum Ciſtercienſem, Epiſcopum & Cardinalem legavit. Hic ille Conradus eſt, cui ob eximiam ſanctitatem, digiti, quibus in ſacrificio utebatur, cùm ſe intendiſſent tenebræ, ut lucidiſſima fax præfulgebant. Hujus ergò operâ, ſanctitatiſque exemplo, Albigenſium plerique ſanati ſunt, contagioque reſtincta. Verùm ne deinceps, miſſis ſurculis, repullularet, per XII. Abbates Ciſtercienſes ex Hiſpaniâ viros doctiſſimos, qui ex Hæreticis lucem veritatis aſpexiſſent, ſanctiſſimè inſtituuntur. Hoc, inquam, unum è pluribus placuit recenſere exemplum; ut pleniùs edoceretur lector, quæ Ciſtercienſibus à Summis Pontificibus imperarentur negotia. Etſi enim illorum

illorum missu (ut non semel dico) res omnis agitaretur; ita tamen rerum cognitio, iis, qui Generalibus Comitiis interessent, deferebatur, ut ab iis seligerentur, qui negotio perficiendo viderentur aptissimi.

Ceterùm ut cum lapsu temporis labuntur & mores, cùm Cistercienſi Ordini novæ ad omnem sanctioris vitæ cultum accederent vires; qui jam provectæ ætatis erant, quique recèns oriebantur Monachorum Ordines, ita vel tepente observantiæ calore, vel sanctiorum præceptionum defectu, collabebantur: ut inde gravissima timeretur ruina. Quare eidem Ordini hæc item alios corrigendi, mandante Pontifice, gravissima cura accessit. Ne verò qui sanandi erant, acriorem curationem defugerent; nevè quibus incumbebat mederi, opus anceps, plenumque periculi detrectarent: Lateranense Concilium sub Innocentio III. cùm de communibus Monachorum Capitulis ageret; hoc ipsum in hæc verba gravissimè sanxit:

Advocent charitativè in hujus novitatis primordiis duos Cisterciensis Ordinis Abbates vicinos, ad præstandum sibi consilium, & auxilium opportunum; cùm sint in hujusmodi Capitulis celebrandis ex longâ consuetudine plenius informati. Et paucis interjectis: *Hujusmodi verò Capitulum aliquot certis diebus continuè juxta morem Cisterciensis Ordinis celebretur, in quo diligens &c.* Unde quivis intelligere potest, quàm Dei Ecclesia, ejusdemque Pastores Cistercienſi Ordini in excolendâ pietate per ea tempora deferrent. Quoniam autem hæc, quæ non admodùm effusè suprà commemoravimus, longioris, atque accuratioris videbantur esse deliberationis, rejiciebant ad generalia Comitia; & quia plerunque ità urgebant, ut nec dilationem quantumvis brevem pati possent; quotannis ea celebrare instituerunt. Hæc, inquam, tertia causa fuit Comitiorum quotannis celebrandorum

K præ-

præcipua, ac Cisterciensi Ordini valdè decora; cùm duas priores cum ceteris religiosis Ordinibus potuerit habere communes.

Qui verò intererant, sanctissimi Abbates, Episcopi, Archiepiscopi, & Cardinales erant. Quos tametsi Pontificis gravissima autoritas, Ecclesiæque necessitas è claustris abstulerat, haud ità tamen exuerant Monachum, ut eam vitæ rationem non omni, quâ possent ope tutarentur, quâcum ecclesiasticum splendorem conjunctum esse sciebant. Itaque vidisses illos, & ecclesiasticâ dignitate fulgere, simul & monasticam humilitatem sapere. Ferebant autem de quâcunque re, quæ ad illorum judicium fuisset delata, gravissimas juxtà, ac commodissimas sententias. In quo nihil dabatur gratiæ, nihil affectui; omnia verò ad rectæ rationis æquilibrium ponderabant, atque perficiebant. Ubi regularis observantiæ vel levis timeretur jactura, cujuscumque precibus se se præbebant inexorabiles. Siquid autem ejus promovendæ tantillum commodi affulsisset, remis, velisque (ut aiunt) omnem ad id intendebant curam.

Et quidem quæ tantâ contentione animorum agitarent, tùm hæc ipsa sunt, quæ modò diximus; tùm etiam bonum pacis inter superiores, ac subditos confirmandum. Castigabant prætereà quicquid vel leviter, vel gravissimè in Ordinem, aut Regulam fuisset peccatum. Abbatum electiones à privatis Monachorum cœtibus factas publico decreto ratas habebant; nisi personæ indignitas plerunque obstaret. A cognoscendis causis eos arcebant, ad quos quoquo modo spectare posse viderentur. Ex opulentiorum Cœnobiorum redditibus tenuiorum pauperiem, ac indigentiam sublevabant. Clamationes inter se summo

Quid Clamatio apud Cistercienses.

charitatis zelo exercebant: (est autem clamatio apud Cistercienses, nullo captato circuitu verborum, aut appellationum, aut testium, simplex, nudaque coràm omnibus

in

in jus vocatio). Fiebant autem ferè inter Abbates, ne vel ſubditus in odium monaſticæ diſciplinæ, ad id adduceretur; nevè proclamatus Abbas (ut inferioris ſortis hominum vix limam correctionis patimur) proclamanti ſubdito iniquiorem ſe deindè præberet. Ad mentem Pontificum jura dicebant, quæ toti religioſo ſtatui convenirent: Principum, Regum, Imperatorum ad Comitia miſſas epiſtolas, ſive diplomata in medium proferebant, quorum inclinati precibus ad participanda ſpiritualia Ordinis commoda, gratioſis, ut vocant, datis literis humaniſſimè admittebant. Si qua implicita in Eccleſiâ occurriſſent; maturâ deliberatione, prudentique conſilio dirimebant, atque explicabant: quæ affulſiſſent in Ordine ſanctitatis exempla (crebra autem à pleriſque afferebantur) in omnes Provincias, ut ea ceteri æmularentur, divulganda curabant. Denique quaſi in altiſſimâ ſpeculâ poſiti omnem Reipublicæ ſtatum accuratiùs intuebantur, quâ ſcilicet viâ, quâ vi, quibuſvè annitentibus, vel toti Eccleſiæ dedecus, vel Ciſtercienſi Ordini poſſet inferri damnum. Id ubi deprehendiſſent; adhibere conſilia, condere leges, ad Pontificem deferre, deſignare qui exorienti incendio reſtinguendo pares eſſent: jejunia, ſtataſque precum horas indicere, ſcriptis epiſtolis, prædicatione, hortatuque Imperatores lenire, Reges terrere. Quod verò jure quiſque miretur, illud erat, graviſſimos hos Patres tam contemplatricis vitæ amantes, ad Comitia accedere fuiſſe ſolitos, ut vix reperiretur, qui miſsionem, id eſt, ut injuncto ſibi munere liceret abire, infimis precibus non poſtularet. Æmulabatur ſcilicet in illis Marthæ ſedulitas Marianam quietem. Sed irritæ ſpei preces redibant, atque utramque laudem cum obedientiæ amore compellebantur conjungere.

Ceterùm cùm jam confirmato Ordine, rariùs cœpiſſent haberi Comitia; ne in deterius ſenſim monaſtici mores

res abirent: Legatio religiosa in Ordinem invecta est, quæ circumeundo Monasteria mores defœcaret, ac tueretur. Exstat ejus muneris perelegans formula, quæ in hæc verba incipit: *In visitatione faciendâ* &c. in quam, quasi in archetypum rectæ correctionis, qui alios corrigendi munus suscipiunt, apud Cistercienses solent respicere. Ejus autem Legationis summa erat, lapsos corrigere mores, bonum pacis fovere, stabilire denique inter superiorem, ac subditos mutuam charitatem, ac reverentiam. Qui corrigendi essent, vel admonendi, ità animati erant, ut Visitatorem respicerent, reciperentque tanquàm ad curationem paratum medicum, seque tanquàm verè ægros alieno arbitratui,judicioque liberè committebant. Quæ de alio denuntianda erant, comperta, explorataque esse volebant; nullius anteà sententiâ damnata, nullis coercita pœnis, non iterùm flagrante invidiâ in jus vocata, neque demùm visitationis tempori reservata, quo solemniùs plecterentur, & acriùs. Quæ conditiones si abfuissent; suspicio erat, invidiâ stimulante, conficta, falsaque afferri, dabatque graviores Visitatori pœnas quisquis ejusmodi delatorem se præbuisset. Qui de quâcunque re peragebantur rei, iis neque irasci cuiquam, neque accepta ulcisci incommoda, neque statim actoris personam indutis quemquam accusare licebat. Si quis, mordente dolore, hoc fuisset conatus; inauditus, repulsusque abibat. Jam huic tanto muneri nullus destinabatur, quem virtutum consortium penè omnium non exornaret. Quis enim, ut jam triumphet veritas, ad alium corrigendum, non cum rubore, atque adeò irritâ operâ, accedat, qui sibi ipsi sit nequam, ac improbus? Visitator itaque ad breve tempus itineris detersâ molestiâ, mensâque frugali seorsùm refectus, ità deinceps inter alios versabatur, ut is, in quem omnium oculi curiosissimè conjicerentur. Non clanculùm dissensionis serebat consilia,nullas

Visitatoris officia.

in

in favorem subditorum Abbati struebat insidias, non privato odio indulgebat, nullius personam in judicio reverebatur, non tenuiores spernebat, attollebat potentiores, omnibus autem se eundem præbebat, apud quem neque ullius gratia, aut preces efficaces erant, ubi justitiæ violandæ immineret discrimen. Ad Diffinitores Generalium Comitiorum causa devolvebatur, siquid injustè, tyrannicè, immoderatè Visitator egisset. In summâ munus Visitatoris erat hujusmodi; ut, sive ejus, cui incumberet, spectes dignitatem personæ, sive iterùm amarum sanè nomen cogites correctionis, cuilibet religioni esset, atque terrori. Hinc igitur cùm semel, & sæpius salutares leges, ut Septimianis suis commodo essent, elicuisset Jacobus; illisque artibus, quas suprà commemoravimus, ut facilior ad virtutem cursus foret, regimen exercuisset; tandem post decem & octo annos suæ præfecturæ in Septimo diem clausit extremum: vir tùm observantiâ regulari, tùm dexteritate agendi planè clarus, qui & Septimianos incomparabili suo exemplo ubique, & semper ad virtutes accendit, & ejus Cœnobii fortunas, opesque agendo mirabiliter auxit. Mors Abbatis Jacobi.

Ab eo, tertius Septimi Abbas à Monachis electus est Ambrosius, cujus ad nos rudis ætas nudum tantùm detulit nomen. Auguratur tamen animus, verarum virtutum concursu virum fuisse illustrem, quòd inter primos, ac sanctiores Abbates à Nomenclatore perantiquo in codice manuscripo quadratis literis recenseatur: persuadetque hoc ipsum illorum temporum monasticæ observantiæ vigor, ac fervor, qui nonnisi perfectos Duces ancipitis, dubiique itineris admitteret, ac pateretur. Tùm illud nobis Ambrosium commendat, quòd constitutam Septimianam rem à Jacobo clarissimo viro acceperit, quam novis ad virtutem conatibus promoveret, non everteret cessatione. Habent enim hoc nobilia pectora, ut alie- Ambrosius tertius Abbas Septimi à Monachis eligitur.

alienis virtutum exemplis ad æmulandum acriùs ſtimulentur, quàm ejuſdem aſſequendæ laudis deſperatione langueſcant.

Hic igitur cùm quinque non ampliùs annos in præfecturâ Septimianâ expleſſet, vir, vel eo nomine, ut creditur, omni miraculo major, quod omnibus omnia factus, ubique tamen & ſemper ſimilis ſui nullâ in vitæ parte perfectionis ſtudium, conatumque remiſerit; inter exultantis Eccleſiæ Sacramenti Altaris inſtituendæ feſtivitatis tripudia, vitam finivit. Siquidem non ità pridem ex Julianæ Virginis Ciſtercienſis nobili, teſtatáque revelatione feſtum illud apud Leodium cœperat celebrari. Cùm enim hæc Virgo ibidem ſibi ſedem fixiſſet, próque totâ Eccleſiâ, ut ſolebat, aliquando oraret impenſiùs, ſerenum, ſudumque cœlum ſibi videre viſa eſt, in eoque quaſi ceterorum ſiderum ducentem choros ſilentem Lunam procedere, cujus orbem lux implêrat uberior, niſi quòd fracta ex parte orbita totum ſuum haud abſolvi decus ſinebat. Cujus mirabili viſu cùm ſemel, & iterùm cœlitùs admoneretur; Lunam præſentis temporis Eccleſiam eſſe, quæ partim plenè illucet, dum in orbem tot noſtræ fidei Myſteriorum, ac ceterorum Sanctorum feſtis diebus jucundè lætatur, partim orbata uberiori lumine eſſet, cùm Sacramenti Altaris præcipuâ celebratione deſtituatur: anxia animi Virgo cùm poſt longam deliberationem rei ſeriem ad doctos viros, & pios miſſam divinitùs detuliſſet; vicit meliorum ſententia, eam inſtituendam celebritatem, quæ piorum fidem juvaret; divina beneficia recolerentur attentiùs, eoque amoris pignore ardentiſſimo ad illam non deſituram gloriam aviditas acueretur. Quæ lætiſſimæ diei inſtitutio cùm ſub vitæ finem Septimiani Ambroſii incidiſſet; meritò ſe abire lætus ad ſuperos poterat gloriari.

Hunc in eádem Septimianâ præfecturâ ſubſecutus eſt

Ubaldus Bertaldius Florentinus in Septimi Abbatem eligitur.

est Ubaldus Bertaldius non ignobilis Florentinus, cujus tùm opibus, quas è domo paternâ secum advexit, tùm virtutibus, quas acquisiverat in claustro, Septimiana res mirum in modum provecta est. Verùm dum Septimianis suis eximium vitæ & morum exemplar se se exhibet, atque in divinarum rerum studio magis in dies seipsum superare contendit; divinam Ubaldi quietem non parùm interturbavit, ex Pontificis placito, Florentini Senatus decretum, quo Septimiani Monachi publico præficiebantur ærario. Res monstro videatur simillima; sed ei, qui publicæ illius rei statum, temporum iniquitatem, totique Italiæ illatas clades cum animo pro gravitate rei non satis expendat. Nobis certè visum est, inauditæ hactenùs rei altiùs causas revolvere; ex quibus sanè constabit, nec adversarum turbine rerum jactatis Civibus indecorum fuisse per ea tempora sacros homines publicæ pecuniæ habuisse custodes; nec rursùs turpe Monachis labanti, nutantique Patriæ, ex præscripto Pontificis, accuratam, fidelemque operam navasse.

Publico ærario Florentino Septimiani Monachi præficiuntur.

Recruduerant igitur post Friderici Tyranni veriùs, quàm Imperatoris obitum, Guelforum, ac Gibellinorum noxiosissimæ factiones, eóque magis, quò parricida Manfredus scelere partum Siciliæ, Apuliæque Regnum ex mutuâ clarissimarum Civitatum cæde, ac sanguine sibi diuturnum fore spoponderat. Hinc subdere discordiæ faces, acuere animos, invitare promissis, sacrilego ære corrumpere, instructo juvare milite, seditiosis sollicitare legationibus; utramque partem, illam in specie, ac verbis, hanc verò reipsâ fovere. Denique eò ventum erat, ut nihil usitatius, nihil familiarius in Italia esset, quàm mutuæ cædes, agrorum direptiones, exilia Civium, fortunarum rapinæ, clarorum ædificiorum incendia. Invicem provocantibus frequentissimum forum erat pro campo. Hinc indè dispositæ, explicatæque concurrebant prælio acies,

Quâ de causâ id muneris Septimianis Monachis collatum.

eâ

eâ variantis fortunæ lege; ut utra vicisset: quæ victa esset; exilio relegata quantociùs excederet. Tùm nullum omittebatur à superbis victoribus crudelitatis genus. Hastâ propositâ publicabantur bona, atque in exulum despectum indignis plerumque, sordidisque addicebantur licitatoribus, conflagrabant immerita tecta, monimenta dejiciebantur, confringebantur statuæ, æra, marmora; itàut ne nominare quidem, ubi incidisset occasio, honoris causâ exules liceret. Interim qui abiissent, tandiù insidiabantur sibi infensis, quandiù aliundè adaucti præsidiis, vicissim eâdem crudelitate fugarent, qui se expulissent. Atque ità mutuis odiis, cædibusque labefactata Italia erat; ut non mirum sit, tetrioribus Nerone Tyrannis tandiù serviviſſe, externisque populis, ac barbaris miserandum in modum in prædam cessisse. Itaque cùm, hâc grassante odii lue, scelerisque conscio Manfredo, Gibellini Florentiâ Guelfos exegissent, cumulassentque omni crudelitate exilia Civium: qui urbe cesserant, viri nobilitate, spiritu, opibusque potentes longo errore cunctos Italiæ Principes, ac Respublicas, necnon Pontificem præcipuè adeuntes, eorum sollicitandis, tentandisque animis, undique Gibellinis bellum concitaverant. Illi verò Manfredo Regi arctissimo amicitiæ fœdere juncti, evocatis ad sui præsidium ejusdem copiis, exulum facilè consilia, impetumque fregêre. Eodem tamen tempore cùm sæpiùs, ardentiùsque, apud Clementem Pontificem eandem illam suam causam perorassent exules; ostendissentque Pontifici non modò tutum, sed etiam pulchrum futurum, si per Gallorum Reges (quorum arma totus Orbis horreret) tot à Manfredo acceptas injurias, calamitatesque semel ulcisci voluisset: tandem hinc urgentibus Siculis armis, illinc orantibus Florentinis, in animum induxit Clemens, Carolum Andium Comitem Regis Gallorum fratrem, virum tùm armis, tùm pietate longè clarissi-

rissimum, in Italiam, Italicis rebus opem laturum invitare. Qui cùm Pontificis plenâ fidei sponsione, Siciliæ, Apuliæque Regnum victoriæ præmium esse non dubitaret, summâ celeritate contracto milite, floreque nobilitatis, trangressus Alpes Italiam tenuit. Interim Florentini exules, Mutinensibus Guelfis auxiliares acciti; cùm peracri, pertinacique commisso prælio, Gibellinos omnes penè ad unum delessent; indéque Regii eádem felicitate pugnandi (ingentis proceritatis, Gibellinæ factionis principe cæso Cacco) eorundem opes, animosque fregissent; ditati prædâ, equisque ad pugnam idoneis aucti, agmen quadringentorum equitum explevêre: Pontificisque fide, autoritateque interpositâ, Carolo contra Manfredum procedenti se se ultrò militaturos dediderunt. Lætatus eorum adventu Carolus est; vixque satis mirabatur, exulibus, ac Patriâ pulsis, tàm splendidè omnia suppetere ad bellum potuisse. Ergo iis auctus, coactisque in unum ingentibus Gallicis Copiis, placuit de summâ rerum bellando jacere aleam. Bellavit igitur, vicit, occiditque Manfredum; Regnoque (cujus anteà jussu Clementis solemni ritu insigne acceperat) potitus est. Vixque ad exitum rei suspensis animis, victoriæ famam incertus rumor detulerat; cùm Guido Comes, qui Manfredi nomine Gibellianam factionem Florentiæ succendebat, protectus Gibellinorum armis, Urbe dilapsus est: Prato, totius Hetruriæ insigni castello se tutaturus. Cujus trepidâ, turpique fugâ, victoriæque certissimo nuncio, adeò Gibellini consternati animo sunt, ut vel in trivio hinc indè jactati sermones, nedùm arma exanimatos terrerent. Indè partim fœderis specie, partim victricium armorum metu, Carolique victoris autoritate, Guelfis in Patriam reditus patefactus est. Quò, ubi se frequentissimi penetrassent; ejectis noxiis Civibus, repurgatoque Senatu, animum statim ad consilia pacis adjecerunt, in eoque curas omnes intendere

visi sunt, ut publica res salubrioribus constituta legibus sibi quàm diuturna foret. Itaque præteritarum rerum memoriâ satis edocti, inter cetera, publico decreto Cives à Quæsturâ (ut in liberâ Civitate pecuniaria res, quam publicus alat, est semper trepida) arcuerunt; ad id munus allectis Septimianis Monachis, atque ex Humiliatorum Ordine Fratribus, qui tunc insigni pietatis laude florebant. Eâ autem lege Quæstorem acturi erant, ut labentis cujusque anni sexto quoque mense sibi per vicem succederent. Hic ille Humiliatorum Ordo est, quem posteà ob insigniter lapsos mores, initamque in S. Caroli caput nefariam conspirationem, quod ejus correctionis limam pati non possent, Pius V. sanctissimus Pontifex, penitùs delevit. Quod de Quæsturâ decretum cùm accepisset Ubaldus, longâ deliberatione protraxit negotium; ut si posset, supervacuam, repugnantemque religioso statui deprecaretur sollicitudinem: afferebatque in primis, Monachum si è Claustro exeat, statim languescere, adeóque in rebus divinis exanimari, ut deinceps nec sibi ipsi sufficiat, & seculi curis omninò sit impar. Esto secùs haberet res, omninò ad præsens non sibi esse in suis, quem tractandis, curandisque publicis pecuniis, ut res exigeret, posset præponere; ità omnes ab ineunte ætate institutos fuisse, ita educatos, edoctos, ut nec pecuniam penè vidissent, & ipsâ professione ad ipsius pecuniæ sordidum nomen horrerent: quales in rationibus non satis explicatis turbulentissimæ Reipublicæ pertractandis futuros sperarent? Ridiculum præterea fore, sedentarium calculatorem Monachum, exercitibus alendis numerare pecunias, vectigalia condere, mercedulas apparitoribus, agasonibusque partiri, ephemeridas, ut dati, acceptique in diem ratio constet, diligentiùs exarare, majores computationum tabulas pro sacris libris assiduè volutare: proindè orare se, parcere vellent semel elapsis è seculo, mundoque defunctis, quorum precibus,
ejus-

ejusmodi negotiorum mole submotâ, futurum esset, ut illorum publica res salubriùs perennaret. Sed obseratas Civium aures nimirùm offendit Ubaldus, paruitque vel invitus publico decreto Pontificis autoritate firmato. Non defuêre tamen, qui taciti vices temporum, injuriasque dolerent, divinarentque, contrahendam Ordini maculam indelebilem parùm decoræ laxitatis, si secularibus curis Monachi inquinari cœpissent. Ea cura demandata est Argumento, incertum, Italone, an Gallo, Monacho Septimiano certè in rationibus dati, acceptique revolvendis apprimè versato. Erat is, vir navus, ac prudens, patiens verò adeò, sibique semper æqualis, ut, tametsi cum toto obstrepente foro ei foret certandum, nulla tamen in illo vultus conversio notaretur. Cujus tandem fide, probitateque, creditur esse factum, ut honorifica Reipublicæ Florentinæ munera nostræ Congregationi deinceps demandarentur. Argumento Quæstore, Arno flumine largioribus imbribus intumente, tres illustriores Pontes, quibus utraque Arni ripa jungebatur, dejecti sunt; erectique statim publico ære, opere sanè visendo, ac sumtuoso. Portæ item Romanæ, quam crebri hostium assultus, arietesque penè totam decusserant, firmiora addita munimenta, ornamentaque quàmplurima. Donaria data militibus, Ducibusque perampla, aliti ingenti pecuniæ vi exercitus, perfectaque bella, Fœderati insuper clanculùm submissâ pecuniâ, haud nomine tributi tantùm adjuti frequentiùs. Quæ cùm penè infinitam pecuniæ summam conficerent, erogassetque Argumentus; qui per id temporis in Septimo præerant, ità omnes expensas in Ephemeridas redigendas curarunt, ac si veriti essent, ne publici æris aversi quandoque exposcerentur.

Interim Ubaldus, post quindecim ipsos annos, quibus rem monasticam in Septimo rexit, è vivis longævus Mors Abbatis Ubaldi.

L 2 exce-

excedens, viris nobilibus, ſanctiſſimiſque Monachis fœtam poſteritatem reliquit, vir planè meritis, pietateque in Deum inſignis, cui quantùm prius externarum rerum curæ faceſſerant negotii, tantùm poſteà iiſdem levatus ad Deum ſubvolavit ardentiùs, atque ſublimiùs.

FINIS LIBRI SECUNDI.



N I-



NICOLAI BACCETII FLORENTINI

Ex Ordine Cifterciensi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ

LIBER III.



IN demortui gradum, dignitatemque, omnium concordibus votis, Martinus ſubvectus eſt, venerandæ canitiei ſenex, qui ſeriùs quàm omnes ſperârant, ad præfecturam venit: eò tamen in accepto munere circumſpectiorem ſe præbuit, quò quaſi in metâ honeſtiſſimorum laborum poſitus, prælucere ſuis exemplo, verboque coactus erat. Facundus Martinus erat, hilari, gratoque aſpectu, ut vix non amantes viri jucunditatis abſcederent, illum qui ſemel allocuti fuiſſent. Eam ob rem ſeditioſæ, factioſæque per ea tempora Civitati maximo uſui fuit. Ubi enim tumultuoſa lis commiſiſſet affines, pavida ſuſpicio provocaſſet in potentiâ pares;

Martinus in Septimiani Monaſterii Abbatem eligitur.

res;

res; perperàm prolatum verbum, jactataque contentiosè ſcommata delicatis pleriſque, ac injuriæ inſolentibus ſtomachum commoviſſent: Martinus illicò advocabatur ſequeſter. Ibi ille utramque convenire officioſiùs diſſidentium partem, injuriam jucundioribus verbis elevare, priſtina, mutuaque (ſi qua interceſſiſſent) officia commemorare, bonum pacis extollere, calentibus animis patientiùs aures præbere, ut deferveret ira, pleraque ad tempus probare, nonnulla ſerenâ, porrectâque fronte rejicere, ſe vadem diuturnioris pacis ſpondere. Si verò diſcordiæ vulnus adhuc intractabile foret; humanioribus dictis lenire, collacrymari non ſemel, ſolari plerunque, in omnem denique ſe partem verſare, donec expugnatâ pertinaciâ animorum, voluntatum arcem teneret: tùm verò pro viribus urgere opus, objurgare tranſgreſſos, retrahere errantes, confidentiùs alloqui, divinas interponere minas, deſertæ pacis exaggerare incommoda, denique nihil non facere, ut coituræ pacis fœdera ſtrictiùs jungerentur. Adeò inſigniter, cumque immortali laude in eo munere Martinus non ſemel verſatus eſt, ut quæ inter adverſos ſuâ ſemel autoritate ſanxiſſet, publicis deindè Notariorum literis firmarentur. Itaque ſi quod Florentiæ conclamatum erupiſſet diſſidium; unus omnium ſermo erat, Martino Septimiano Abbate opus eſſe: ne illatæ injuriæ evaginatum ferrum jus diceret.

Egregiæ Martini Abbatis dotes.

In ſummâ laude ponebat, non modò, quæ accepiſſet, conſervare; ſed etiam maximè adaucta relinquere. Ut verò in divinis hoc ipſum præſtabat egregiè; tùm in fortunis Monaſterii augendis, ampliandiſque accuratiſſimus habitus eſt. Ingenti enim pecuniæ vi ſolutâ, Signiæ Portui propiores Arni fluminis ripas adjunxit, unde annuus, certuſque proventus exſiſteret Monaſterio. Coëmerat ipſe portoria à nobiliſſimis Florentinorum familiis, quibus ejus generis redditus ſuſpecti, trepidique erant;

quòd

quòd ærario publico, jure regio, olim arbitrarentur cessuros. At Martinus ecclesiasticâ immunitate hujusmodi jus se posse tueri ratus, si qui ripas, rei domesticæ suspiciosâ curâ cogente, unde à Navarchis exsisteret compendium, proposuissent venales, suâ professione tutus, nilque tale veritus coëmebat, prædivitem prædiis appendicem facturus, quæ illic olim perampla, latissimaque Monasterio erant. Sed subsecuta secula perspicuè docuerunt, (ut sunt mortalium rerum in deterius conversiones, ac vices) nulli statui hominum tutum esse possidere, quæ Principem vel specie tenùs videantur æmulari. Siquidem cùm Septimiani Abbates jam desiissent, portitores adhibere ex Ordine famulos; quòd sordidæ pecuniolæ exigendæ religioso habitu utcumque indutos ibi spectari, minùs decorum putarent: licitatoribusque, ac conductoribus portoria illa, ad novem, ut plurimùm annos ex consensu partium, pactâ quâdam pecuniæ summâ locarent; accidit nostrâ memoriâ, duos, quibus fixum erat, aut hujusmodi quæstu ditari, aut si minus processisset, ut publico debitum deferre compendium, de iis portoriis conducendis in contentionem venire: atque cùm alter alterum, oblato majori pretio, circumvenisset, conduxissetque clanculùm, qui spe, causâque ceciderat, implacabili ex cupiditate percitus irâ, Septimianos Monachos antiquos possessores publicis Principis administris delatione committit, liteque utrinque malo omine succensâ, tandem post multas jurium ambages, latasque cum redivivâ appellatione sententias, iteratas discussiones, accessus, Principi quidem, sequestribus honorariis adjudicantibus, eâ lege obvenêre portoria, ut nihil interim Septimiani acciperent detrimenti.

Sed non multo post sensêre delatores, quàm ecclesiastici proventus Numini cordi essent. Alter enim ita repentè decoxit patrimonium, ut absortas, non sensim im-

imminutas illius res demirarentur plerique. Alter eodem infortunato exitu perfunctus egestatis, cùm se se præcipitem, ut intercluderet spiritum, dedisset in aquam, prohibitus à suis mori, altero effracto crure extractus est, coactusque demùm à Franciscanis habitum, cibumque precari, invisus propemodùm omnibus è seculo se subduxit.

Accepta beneficia gratâ memoriâ prosequi Martinus Abbas studet.

Inter ceteras autem virtutes, gratitudinem coluit Martinus, quam qui maximè, sine quâ non posse invicem coire homines, tollique omne humanum commercium, ac publicas res disperire, jure censent sapientum plerique. Vita enim hominum in eo potissimùm posita esse videtur, ut dandis, accipiendisque beneficiis, mutuò se juvent mortales; quæ sanè charitas haud diù constabit, ubi benemerenti gratiæ nullæ reddantur. Quare omne tulisse punctum Apostolus visus est, cum diceret: *& grati estote*. Quare ne alienæ munificentiæ recordationem ignava, ingrataque beneficiariis eriperet oblivio; Calendarium conficiendum curavit Martinus, cui, singulis per menses diebus, liberalium hominum ergà Septimianos Monachos nomina obitusque affixi essent, ut sacrificiis, precibusque pro meritis juvarentur per vices. Exstat adhùc apud nos codex, quem firmiores ex alutâ membranæ, cum pervetustâ, elegantique scripturâ, usque ad hæc nostra tempora detulêre: ità verò extrinsecùs ferreis tuberculis ad medium, angulosque obarmatus est, ut videatur compactus ad æternitatem. Septimus jam volvebatur annus, ex quo Martinus in Septimo rem monasticam regere cœperat; quando ex insuetis tùm animi, cùm corporis laboribus, contracto morbo, lecto decubuit, pertinacique febri, subducitur. Illicò abeunti, mœrentium Monachorum lacrymæ, justissimè parentarunt. Quas non multo post ingens omnium ex Gartiæ electione concepta lætitia penitùs detersit. Siquidem virum genere, præaltâque indole illustrem, tùm ad usum, cùm ad omnem pie-

Martinus Abbas moritur: in cujus vicem Gartias succedit.

pietatem factæ virtutes ità omnibus commendaverant, ut omnium suffragiis meritissimò omnibus præferretur. Erat Gartias vir egregiè pius, cultuique divino apprimè deditus, non modò qui intùs munia pietatis moderatur, ac regit; sed etiam qui extrinsecùs per summam munditiem, elegantiamque Numini defertur. Nullum enim devoti animi indicium testatius esse potest, quàm Numini dicatis templis adhibitus nitor. Condita siquidem mundities, cultusque animi, ut plurimùm, ac ferè semper extrinsecam consequitur, ac amat; colligiturque perspicuè hoc ipsum ex Psalmo 44. in quo Propheta Regius interiorem filiæ Regis gloriam, ac pulchritudinem, extrinsecâ varietate vestium cumulasse videtur, cum inquit: *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus*. Igitur exornabat sacras ædes Gartias, reficiebat, erigebatque, si vitiis temporum labare contigisset. Ac primum opus viri egregii, ex quo Abbas renunciatus est, templi D. Martini ad Palmam restauratio fuit. Ædificium haud superbè elato colli insedit, quem iterùm illinc nemorosi, hìnc oleis, vitibusque consiti humiliores colles commendant. Ibi multa Gartias præstitit, illi certè seculo spectabilia, quæ nostro huic cultiori propemodùm sordere cœperunt. Siquidem multa multi conati sunt nostrâ memoriâ ad novam Architectonicæ artis regulam revocare. Qui ut multùm conati sint, nil tamen aliud à semel obfirmatis muris obtinuêre, quàm ut vel pluribus, amplioribusque fenestris largiorem lucem admitterent, vel aquâ eliquato gypso illiti parietes veteris picturæ conderent vultus, vel novis denique ex sereno, fragilique lapide, ut Hetrusci solent, fundatis altaribus, religionem loci utcumque augerent. In iis ara maxima principe loco constructa perspicitur, in cujus tabulâ, picturâ non insulsâ, Martinus ille Turonensis exprimitur, palliolo, stiriatáque veste decorus, qui cùm pervenisset

Gartias Abbas Septimi Sacrarum Ædium confector, ac restaurator.

Carnutum, mulierem habuit obviam, (impulerant enim miseram Carnotensium quidam, ad conflandam Sancto invidiam, nì quod postularetur processisset ex voto) quæ mortuum filium flens, ejulansque, Sancto Episcopo obtulit suscitandum. Complexatus puerulum Martinus est, interque brachiorum vincula ad vitam rediit mortuus, redditusque est jam flenti præ gaudio matri, cui priùs lacrymas acerbissimus dolor expresserat. Ibi redivivus puer inter manus Pontificis ità lætatur, ac gestit, ut indè liberatorem suum admirabundus, quasi gratias relaturus, aspiciat, hìnc erga matrem, in illius mox abiturus complexus, manus extendat. Ibi mirantur omnes, nullusque est, cujus gestus, habitusque corporis non extollat miraculum. Ita demùm veritati colludit artificium, ut, eo interprete, statim intelligat animus, mirabilem Deum esse in Sanctis suis, per quos ea generi humano interdùm præstet beneficia, quibus nullæ habitæ, redditæque gratiæ, pares esse posse videantur.

Ceterùm tanta erat Gartiæ in exornandis, reficiendisque labantibus templis liberalitas, atque exquisita munditties, ut plures ex familiaribus suis primarios Florentinos viros ad eandem æmulandam sæpiùs provocaverit. In iis maximè eluxit Lapus Spinius, qui moriens testatus est, quantum Septimianos suos, Gartiamque diligeret. Is enim ingentem pecuniæ vim Septimiano legavit Cœnobio: quæ autem in divinum cultum voluntate testatoris destinabantur, ita exsecuti sunt viri graves, ut nil absolutius, opulentiusque per ea tempora fieri potuisse videatur. Ac sacellum inprimis D. Jacobo Apostolo sacrum construendum curarunt, quod peramplo, sumtuosoque fornice texerunt, prælongâ fenestrâ ex vitro admittente sine fece exorientem diem; quam mediam iterùm dividit, ex candidissimo marmore affabrè facta columna. Cœlum, atque ex utroque latere fulcientes parietes, multiplex, varia-

riaque pictura exornat, illuminatque, & quidem ejus Artificis pictura, qui inter renascentis artis principes assertores fuisse celebratur. Hic ille Bonamicus Busfalmachus est, urbanus homo, ac salsus, cujus facetias in suarum Decadum fabulâ quâdam, jucundâ illâ suâ Hetruscâ facundiâ prosequitur Johannes Boccacius; ceterùm picturæ artificio adeò clarus, ut nulli sui seculi Pictorum penè cesserit. Hic ergo cùm hujusmodi sacellum, Spiniorum liberalitate provocatus conduxisset pingendum, in eo haud laudem tulit mediocrem; nisi quòd sibi ipsi visus est propemodùm invidisse immortalitatem. Cùm enim salito cœruleo colore pleraque infecerit, eâ salsugine ceteros exedente colores, ità deformata ad nos pervenerunt; ut neque stet suus vultibus color, & linearum artificiosus concursus benè curiosum aspectum defugiat. Extollit tamen inter cetera, quæ ibi Busfalmachus depinxit, Georgius Vasarius, æque nobilis Pictor, atque vitarum Pictorum Historicus, Evangelistarum unum, quos in templi Cœlo locavit sedentem, scribentemque ad pluteum, qui plenissimis buccis flatum collectum explodens nititur calamo, quam atramentum exhauriendo conceperat, bullam detrahere; nimirùm, ut leniùs scripturam fundat, impetumque sequatur scribentis. Et quidem meritò. Ostendit enim Busfalmachus in eo, se jucundioris ingenii sequacissimos etiam penicillos habere.

Eximiæ Davidis Septimiani Monachi dotes.

Nec Gartiæ nostro minori gloriæ fuit, quòd sub ejus magisterio David ille Cistercienfis, magnum Hetruriæ nomen floruerit. Is ita Monachum profitebatur; ut in cœtu multorum ipsissimus Eremicola videretur. Siquidem perpetuum illi silentium, assidua precum instantia; monasticis assuetus laboribus, cibi parcissimus, somnifugus, injuriarum patiens, hilari semper, lætáque facie, sive urgerent adversaria, sive prospera arriderent. Denique in eo illud meritò suspiciebant omnes, quòd ità rebus

agendis par erat, ut nihilominus altissimâ quádam rerum divinarum contemplatione seipsum, ceterosque excederet. Hujus cùm virtutes, vel ipso bonæ odore famæ, ac latere nesciæ, mortalium advocassent theatrum, ac non Florentiæ modò, sed in Urbe etiam omnium sermonibus celebrarentur; Bonifacius ipse Octavus in sinu gaudebat, quòd suo tempore, itáque opportunè, tàm clarum diluxisset sanctitatis exemplum. Siquidem jam pridem Camaldulenses in Apennino eremiticam vitam degentes crebris literis Pontificis aures compellaverant, ut labanti eremiticæ rei adjutrices porrigeret manus; obiisse querentes magnâ ex parte eos, quibus decus illud vitæ maximè inniteretur; novos, inexpertosque successisse, quos tyrocinium magis, ac rudimentum, quàm præfectura deceret;eam vivendi rationem talem utique rectorem requirere, quem omnes omninò, longoque tempore exercuissent virtutes,emeritumque insigni prudentiâ,singularique tolerantiâ cohonestassent: frustrà Eremi horrorem, solitudinem, ac se se attollentium fragrosa montium juga sui Monachos admonere officii, nisi & adsit qui verbo, exemploque rem arduam, & quæ propemodùm recessit è moribus hominum, valentiùs ad effectum propellat: summæ, addentes, laudi Pontifici futurum, si quam Romualdus olim in Italiâ jam penè collapsam eremiticam disciplinam restituerat, ipse paternâ, dignáque tanto Pontifice curâ, sensim declivem, pronamque vitio hominum, erexisset. His semel, & sæpiùs, supplicum Monachorum vocibus Pontifex provocatus, tandem adjecit animum ad rem Camaldulensium sublevandam; quippe qui pervideret, & universæ rem Ecclesiæ commodam: & Hetruriæ toti haud injucundam,maximéque decoram futuram. Itaque ad Septimianos respexit, quorum per id tempus celebre sanctitatis nomen erat; quippe qui docti silentium, mundissimâ castitate decori,obedientiâ promti,prædivites nu-

nuditate, & ſecuriùs ſolitudinem videbantur poſſe inire, & excolere ſanctiùs. In quibus, ut ſupra diximus, David Ciſtercienſis maximè prælucebat. Hunc ergò ampliſſimo diplomate donatum, Eremi præpoſitum & invitum, & abſentem renuntiat Pontifex. Qui poſt oneris detrectationem ingenuo rubore plenam, Pontificis juſſa facturus ad Camaldulenſes profectus eſt; à quibus tanquam cœlitùs datus, exceptus, ità deinceps Eremiticam laudem provexit, ut inter ejus ſanctiſſimi inſtituti columina facilè numerari poſſit, ac debeat. Hæc illa totius Italiæ celeberrima Eremus eſt, quam ardui Apennini dorſo incubantem, contemplatricis vitæ ſedem ſibi delegit Romualdus ille ſanctiſſimus. A Septentrione ei imminent fragoſæ cotes, perpetuo penè gelu rigentes. Meridiem versùs ſubjectum Caſentinum habet, nobiliſſimum Hetruriæ tractum, Vicis, Caſtelliſque frequentem, cujus accolæ bellicâ laude clari habentur. A dexterâ, hoc eſt, ad Occidentem, ſupinos colles exorientis fluminis Arni nobilitant incunabula; à ſiniſtrâ verò, hoc eſt, ad Orientem, haud paulò clementiores rupes Tiberim amnem, tùm primùm exiguis vagientem undis per ſubjecta juga devolvunt. Locus totus, ut ferè montuoſa ſunt, in prægrandia ſaxa diriguit; inter quæ, ſi qua mollior, ſinceriorque tellus exſurgit, proceram emittit, enutritque Abietem, quæ ubi excrevit in ſylvam, ſacro locum totum perfundit horrore, qui adeuntibus religioni ſit, ac timori. Templum, quod totum ferè pſallentium ſubſelliis occupatur, procurrentibus in longum ſemitis, quas hinc indè proſeminatæ Eremitarum cellulæ elegantiſſimè ſepiunt, quaſi deductis lineis pro centro eſt, quò, perſtrepente pendulo ære, noctes, dieſque, impigrè conveniunt Monachi divinum penſum de more perſoluturi. Cetera vitæ ratio, ad præſcriptum Regulæ D. Benedicti conformata eſt, niſi fortè ſeverior eremitici inſtituti cenſura aliqua eam coarctaverit. Hic ergo,

hiſce

David Ciſtercienſis Monachus, Eremi Camaldulenſis Hetruriæ, invitus, & abſens, Præpoſitus à Bonifacio Octavo Summo Pontifice declaratur.

Accurata majoris Camaldulenſis Eremi Ichnographia.

hiſce moribus uſus, cùm aliquandiù David Ciſtercienſis ſummà cùm laude ſanctioris vitæ Camaldulenſes præceptionibus imbuiſſet: demùm jejuniis, ac vigiliis fractus, venerabilis ſenex in Eremo vitam finivit, ſuorum quidem Ciſtercienſium gloria, Camaldulenſium verò nunquam ſatis laudatum moderationis exemplar. Et ſuorum quidem temporum felicitati deputabat Gartias, Septimum tales aluiſſe Monachos, quibus Eremi ſolitudo non modò pro delitiis eſſet, & Paradiſo; ſed quorum etiam præceptionibus, ubi res tuliſſet, ſanctior redderetur, ac purior.

Mors Præpoſiti Davidis.

Interim dùm ex hujuſmodi ſpiritali proventu lætatur Gartias; Florentini Septimianorum in Quæſturâ fidelem, ſalutaremque operam ſæpiùs experti, ipſos iterùm ad forum, atque ad Reipublicæ non temnenda munia (Summo Pontifice ad id adhibito impulſore) elicere conantur. Siquidem cùm Carolus Amerinus Florentiæ Prætor eſſet, (cujus etiam præter ceteram poteſtatem, partes erant publico ſigillò tabulas obſignare, ut iiſdem à Magiſtratibus fides eſſet) homo furaciſſimi ingenii, cùm omnia turpiſſimo quæſtu dimetiretur, adeò ut etiam judicia venderet, pecuniáque corruptus ſemel, nullum facinus eſſet, quod non auderet; eóque jam res proceſſiſſet, ut obſcuriori conjecturâ in clariſſimum indicium verſâ, jam ægrè poſſet latere; cùm nefaſti dies, qui Johanni Baptiſtæ Florentinorum Divo tutelari ſacro diei præludunt, illuxiſſent; Carolus cum gemmis, auroque, omni commutato peculio, ac ſupellectili, ipſo celeberrimæ diei pervigilio, cùm tota Civitas ultrò, citróque mittendis, accipiendiſque è publico muneribus in omnem effunditur lætitiam, per infrequentem Civitatis portam, dubiâ luce, commutatoque habitu, Reipublicæ ſigillo ſecum ablato, clanculùm, ac fœde dilabitur. Ubi verò clarior lux appetiit, recenſerique cœpti Magiſtratus ſunt, qui ejus diei publico ex voto celebrioribus ſupplicationibus civili pom-

Monachi Septimiani ad præcipua Reipublicæ Florentinæ munia, Summo imperante Pontifice, pluries adhibentur.

pompâ interesse solebant; constitit tùm deesse Prætorem, quem sua ipsius facinora abire Magistratu, ac exulare compulerant. Fit murmur primùm in vulgo; dein clarior circumvolat fugæ fama, mox liberiores exsecrationis voces etiam jactantur in triviis; asserentibus cunctis (ut sunt post factum, hominum ingenia citrà errorem ad divinandum promtissima) haud mirum esse, nullo persequente fugisse Prætorem, quem suorum ingentium scelerum furiæ jam pridem exagitarant. Intereà abierat ille, Hetruscique imperii fines inviolatus, felixque excesserat, publicumque sigillum eo consilio diù apud se habuit, ut vel ingentem pecuniæ vim, si redimendum curassent, à Florentinis exprimeret, vel quam publico edicto in abeuntem vulgaverant multam, ablati restitutione deprecaretur. Sed fallaciam, astumque perfugæ ipso contemtu elusêre Florentini. Siquidem scriptis quaquaversùm epistolis, prioris autoritate abrogatâ, novum induxêre sigillum, publicoque Senatus decreto sanxerunt, ne in posterum publicas tabulas obsignandi apud Prætorem, aut quemquam Civium jus esset; summâque animorum consensione Senatui visum est, tanti momenti munus Septimianis Monachis deferre.

Inter hæc, cùm perfidiosum Caroli furtum saniori consilio ejusdem frater germanus detestaretur; reluctanti demùm per vim detractum Florentinis sigillum gratis, supplexque remisit, infame transfugium, temeritatemque fratris utcunque excusans. Herculis clavâ innixi, exuvioque leonis induti excavatum æs habet imaginem, ut ipsi nuper in Septimo vidimus, non tam expolito opere perfectam, quàm illius adhùc rudis seculi monumentum.

Ceterùm eam curam ægrè concoquebat Gartias, hinc autoritate Pontificis, illinc Florentinorum promeritis, ad civilia suos, eaque plena sollicitudinis, & curæ compelli munia; virumque monasticis institutis egregiè

cultum

Garliæ Septimiani Monasterii Abbatis plena prudentissimæ modestiæ excusatio.

cultum maximè angebat, ità sub Ubaldo acceptæ, initæque summâ cum laude Quæsturæ præcessisse exemplum, ut ad recèns oblatam sollicitudinem devitandam, vix ullum honestum effugium patere videretur. Ergo dùm hæret, dúmque ipse secum deliberat, quid in eâ re facto opus sit, pensitanti occurrit, (quando Pontificis haud detrectabile urgeret imperium) ita rem totam salubriter temperari posse, ut certis conditionibus oblata, vel respueretur omninò; vel si recipi contigisset: quàm minima sacrorum virorum, qui divinis operari solent, jactura fieret. Itaque intrat Senatum, verbisque honorificis laudat egregiam in se, suosque, civium voluntatem; seque præstò esse affirmat, ut jussa perficiat: veruntamen justo dolore morderi, ejus generis Monachorum penuriâ premi, qui pro dignitate rei tanto muneri attribuerentur; multum enim in Septimo de divino cultu detractum iri (quod piæ aures vix patienter audire sustineant) si, qui reliqui essent, ad civica munia traduci contingeret: esse Conversos, genus hominum externis rebus addictum, qui publicis obsignandis tabulis commodè, ac divinæ rei minori cum detrimento, sufficerentur; hos se libenter missurum, ut eorum fideli operâ publica res, quandiù vellet, uteretur; multaque insuper addidit, quibus hominum, alioquin vili conditioni; quos se missurum spondebat, aliqua honesti species induceretur. Denique præter spem responsum tulit, mitteret quos vellet, eâ tamen lege, ut qui venissent, unam maximè fidelitatem afferrent. Ex eo, omnium ingenti admiratione, Florentinæ publicæ rei Cancellarii Septimiani Conversi visi sunt; hoc est, vilia Cœnobitarum capita; & qui coquinæ præsertim, verrendisque quisquiliis addici solerent. Rem omnem, quòd novitatem maximè saperet, accuratè Johannes Villanus prosequutus est, in suis historiis: idemque D. Antoninus Florentinorum Antistes alicubi retulit, quòd ad ea usque tempora, & dein-

Conversis fratribus sapientissimè delatum munus, quod Monachos Choro addictos à Divinis retrahere poterat.

deinceps res ſine exemplo videretur futura. Diſcant hinc noſtri temporis Monachi, quàm ſanctè monaſticum inſtitutum per ea tempora à Ciſtercienſibus coleretur, quibus utique ſuſpicaciſſimi homines, quique ob mutuam ſuſpectam potentiam, aſſiduè in armis erant, tàm ſæpè, támque trepida Reipublicæ munera demandarent: rursúsque animo penſent, quàm ægrè illi, quámque coacti, clauſtri cancellos tranſgrederentur, qui mallent, ſuorum potiùs viliores quoſque tàm ſplendida munia capere, quàm ipſi, vel ad horam, clauſtro egreſſi, videri in publico. Candidi ſcilicet illi mores, vitaque priſcorum ab omni ambitione procul, nos utique coarguunt, ac urgent; qui luculentam nobis injuriam fieri putamus, ſi intrà unius cellulæ fines ad pedes Domini, fluxarum rerum vacui curis relinquamur. At oportebat, legiſſe illud Hieronymianum jam toties decantatum: *Quid agis in turbâ, qui Monachus es?* Iſtudque luculentum Sanctiſſimi Patris Bernardi dictum: *Quid tibi cum ſeculo, qui ſeculum ſpreveras?* Necnon experimento ſenſiſſe, optimam illam eſſe partem, quæ ex verbis Domini jucundiſſimè, ſecretóque hauritur. Det veniam, Lector, ſi in medio narrationis curſu, me in hæc verba modò impulit dolor. Ubi enim in melioris ſeculi exempla incidere contingit; volens, nolenſque, cogor frontem diducere, ac monaſticæ corruptelæ juſtiſſimis lacrymis parentare.

Vix autem à Ciſtercienſibus, quod poſtulaverant, obtinuerant Florentini, cùm Civitas quâdam quaſi impetigine imperandi, Curſo Donato, Ruſſoque Toſâ noxiæ ducibus factionis, fœdè iterum abiit in partes: cúmque peſtilentiſſima lues Guelforum, ac Gibellinorum in publicas, privataſque fortunas, demutatis tantùm nominibus, ſæviſſimè debaccharetur, publica conſternatio ſibi invicem ſuſpectos cives coegit tandem, ut jampridem exploratæ Septimianorum fidei committerent armamentaria.

Nondùm enim liberæ Civitati pro propugnaculo circùm adjectæ arces erant, sed omni genere armorum instructo armamentario utebatur; undè sive civilium armorum classicum insonuisset, sive externa vis pertimeretur; & qui apud Florentinos stipendia merebant, & qui amantes Patriæ essent, ad tinnitum campanulæ, mallei ictus imitantis, arma desumerent, ut hostiles incursus possent propellere. Hoc ergò cùm pro domicilio Septimianis Conversis esset attributum; vix indè (ut in dubiis, trepidisque rebus minima neglexisse, magna peccasse est,) eisdem pedem efferre licebat. Quin portarum Civitatis claves ibidem, atque apud eosdem, diligentissimè asservabantur. Indè summo mane janitores, ut reserarent fores, Septimianorum jussu tollebant, ad vesperum relaturi eódem, ubi vectibus ferreis clavibus obsignatis, diligentissimè conclusissent. Cauta porrò, omnique ex parte circumspecta eorum conversatio erat, qui in eo munere versabantur. E publico alebantur; aberantque quàm maximè à potentiorum familiaritate: tenuioresque deditâ operâ devitabant, quòd hujusmodi genus hominum sordidâ ferè pecuniolâ ad maxima quæque perpetranda facinora impelli posse constaret. Si quid operis, impensique laboris è publico mercedis erat; Septimianus minister in communem Cœnobii usum expendendum accipiebat. Ita Prætori, ita Magistratibus ceteris parebant; ut legibus tamen majorem reverentiam præstarent. Ad nullam inclinabant partem, si factiosa Civitas seditione laboraret. Quamobrem Civitatis claves, sigillum, armamenta, publicum Æs in hominum nullâ pecuniâ, nullâ perfidiæ mercede corruptibilium potestate fuisse, nutanti Civitati saluti plerunque fuit, & commodo. Siquidem potuit à noxiis civibus divexari multoties, fœdè diduci in partes, bellorum incommodis premi, clarissimorum virorum spectare funera, charorum exilio deferi, innoxio,

Religiosissimus Cistercensium in custodiâ Civitatis clavium, sigilli, armamentorum, ac Æris publici modus procedendi.

xio, noxioque ſanguine inſpergi, ſubjectis ardere facibus, avaritiam Magiſtratuum, peculatumque tolerare. Sed tamen, ea præclara munera Septimianis occupantibus, cùm nulli in immenſum creſcere liceret, libertatis jugulum nefariorum gladiis adeò immune fuit, ut una omnium vox eſſet; Florentinorum publicam rem tandiù ſalvam futuram, quandiù Ciſtercienſes ad ipſius clavum intenti ſederent.

Intereà Gartias anno XXX. ſuæ in Septimo præfecturæ, bonis omnibus magno ſui relicto deſiderio, è vivis exceſſit: vir quidem genere nobilis; ſed in Deum, ac proximum pietate nobilior. Hic Septimianorum primus fuit, qui ſive dulcedine gloriæ captus (quam nobilia pectora facilè admittere ſolent) ſive, quod ejus moderationem magis decere videtur, ne res Ordinis deperirent, quæ præclarè in divinum cultum ingeſſit, parvis inciſis marmoribus, tranſmiſit ad poſteros. Cujus etiam ſi illuſtria facta, virtuteſque immortalibus literis commendata fuiſſent, quas ſola fama habet, teſtataque pietatis veſtigia proloquuntur, atque ad noſtram uſque tuliſſent ætatem; profectò habituri eramus, quem cum ſanctiſſimis illis, ac priſcis Ciſtercienſibus uſque ad invidiam conferre poſſemus. Abbas Gartias moritur.

Ab exceſſu Gartiæ, ſtatim ſeptimus Septimi Abbas ANDREAS dictus eſt, non tàm ſecundâ famâ, quàm abſoluto, veroque concurſu virtutum vir memorabilis: ſub cujus prudentiæ ductu Septimiana res extrà unius Cœnobii muros cœpit bono omine fines proferre. Cùm enim lateret Andreas, purioremque vitam, tanquàm tutiſſimo præſidio, receſſu tueretur; virtus ipſa latere neſcia totam Hetruriam pervaſerat, uniuſque hominis laude, & commendatione Septimianam Familiam ex moribus Parentis, ut planè ſanctam venerabatur. Quin ea virtutis opinio apud alterius inſtituti homines tantùm per ea tempora In Septimum Abbatem Septimiani Monaſterii Monachus Andreas eligitur.

ra valuit; ut integrum Cœnobium nostro Andreæ regendum tradiderint. Locus ab Urbe Florentiâ decem non amplius milliariis distat, deflectitque dextrorsùm à viâ militari, quæ insignem trans Alpes, Urbem Bononiam ducit. Iter totum, usque dum Cœnobium subeas, prealti, ac infrugiferi ferè colles exasperant, nisi qua fortè annosa quercus, nec satis procera, quippè quæ inter prægrandia saxa conetur exsurgere, pellendo frigori satis amplum proventum polliceatur. Nec mitiores Monasterio sedem fecêre colles. Siquidem à Meridie itâ sublimibus, hispidisque castaneis referti imminent Monasterio, ut non nisi provectum, adultumque, atque ad paucas horas liberiùs hauriat diem. A Septentrione per humiliores quidem colles, non tamen minùs senticosos, arbustisque silvestribus impeditos, ei patet in Mugellum liberior prospectus, jucundissimum, ac feracissimum totius Hetruriæ tractum. Id est Bonisolatii Monasterium, olìm clarum opibus, Hugonisque Comitis Magdeburgensis admirando viso nobilitatum.

Andreæ Septimiano Abbati, Bonisolatii Monasterium regendum traditur.

Hic ille Hugo est, cujus suprà meminimus, quique Othoni III. secundò in Italiam revertenti, ut Crescentii Romani Consulis, Imperium affectantis, retunderet audaciam, expellendisque è Campaniâ Saracenis, egregiam in bello operam navavit, ac posteà ob ingentia merita, perspectamque virtutem in armis, ab eodem toti Hetruriæ præfectus est. In quâ quidem Provinciâ administrandâ itâ primùm se gessit, ut inter optimos Principes posset annumerari. Deindè à belli curis laxatum animum sensim exæstuans juvenilis libido invasit, itáque à publicæ rei salutaribus studiis totum avertit, ut multùm temporis in aleâ, scortatione, atque ad omnem luxum, jucunditatemque comparatâ venatione absumeret. Illucebant tamen inter probra libidinum, ac dehonestamenta ludorum qualiacunque in Deiparam Virginem pietatis signa, quibus

bus, ne abiret totus in præceps, retrahi videbatur. Quæ in peccando cunctatio, vel remissio, ægræ menti aliquando saluti fuit, & commodo. Cum enim ad Vallem Arni venatione quandoque se se oblectaret; & quæ latebant in silvâ Castri superioris, ut vocant, immissis canibus, tensisque in gyrum plagis, urgeret feras: repentè exiliit cervorum hinnulus, qui, effusâ fugâ Hugonem prædæ avidum, ità devium egit, ut serò longiùs à suis se equo delatum, magnoque in vitæ discrimine versari animadverterit. Hæsit diù; equoque tandem desiluit: mox præ lassitudine humi cubantem, inopemque consilii deliquium animi penè cœpit: ac paulò post eo periculo functum, adeò vehemens fames incessit, ut hùc, illùcque torqueret oculos, visurus, an infrugifera, incultaque silva præberet, quò interim famem sedaret. Æstuanti affuit aliquando tandem, quam remissiori cultu venerabatur, Deipara Virgo, in specie, humanâ, majore. Quamquam enim paganico cultu, & qui à silvis non abhorreret, ornata incederet; nodoque ad ilia paululùm collegisset vestem, longissimi itineris eâ ratione fidem factura: ità tamen facie, oculisque nitebat, ut & inculta nemoris beare, & quasi Luna cùm uberiori luce perfunditur, extrà nubes os videretur proferre. Mirantem cœleste lumen insperatò affulsisse silvis, ac penè fame enectum, invitavit illa comiter ad quæsitissima xenia, quæ vase immundo manu gestabat. Sed inhiantem ad epulas, vasis terrebant sordes. Ut verò divina Puella cunctantem animadvertit; contractiori fronte, quæ objurgantis speciem præseferret, subintulit, æquò sibi minùs placere obsequium, quod ceteræ vitæ sordes dehonestarent. Castigatus ille dejecit oculos: hæc verò evanuit. Ceterùm cùm evasisset ad suos, non multò post, inter beatæ vitæ copias versanti excidit visum, atque ad ingenium rediit. Sed altero horribiliori mox castigatus, serò quidem, sed tamen seriò se respexit. Venantem enim

Deipara Virgo se Comiti Hugoni mirum in modum visendam exhibet.

enim aliquando, nubibus obducto cœlo, tetrior nox oppressit, errantemque, demùm nemus excepit, ubi modò Bonisolatii pervetustum Cœnobium situm est. Qui, circumlatis oculis, visus est, sibi videre specum ardentem, ac latebrosam, in quâ complures fabri ad incudem nescio quid ignitum ingentium malleorum ictibus mollirent, effingerentque. Accessit, vidit, obstupuit, hominum scilicet ignita corpora pro ferro procudi, atque ut fabrorum intenderat ars, varias brutorum exprimere formas. Alienam dum vicem dolet, advenit lætabundus ex prædâ, qui hominem humeris sublatum incudi torquendum admovit. Cui ille, qui operi urgendo præerat: Ecquæ te (malum) hactenùs mora tenuit, quominùs hùc ad jamdiù promerita tormenta Hugonem Comitem Magdeburgensem non deportares? Quibus auditis expavit Comes; resumptoque sensim animo, (ut est devia mens ad audendum promtissima) exploraturus processit, an verè prædones essent, qui viatoribus parandis insidiis ejusmodi quæsivissent latibula; an verò ex inferis progressi Dæmones, qui sui terrendi horrendum sanè mortalibus oculis exhiberent spectaculum: & simul exclamat, quandiù vos, vos, inquam, quamdiù patiar humani generis pernicies, lues, ejectamenta scelerum? Nùm humanæ societatis penitùs obliti adeò divina, humanaque jura contemnitis, ut quòd nox, latebræ, silva tegunt, divinam ultionem evadere posse putetis? Erratis; Erratis: pluraque volentem loqui princeps Dæmon abrumpit; contractáque ad severitatem fronte: quando, inquit, aliena te rimari delectat, quos vides, latrones non esse noveris, sed ejus, quam modò sanctè commemorasti, ultionis divinæ administros, qui levioribus iis in animabus discruciandis modò fallunt tempus, in Comitem Hugonem divinæ justitiæ penitùs immemorem mox admoturi tormenta majora. Nec dicto segniùs, evanuit spectrum, Comitique sanior reddita mens

Hugo Comes ad saniorem frugem stupendâ visione reductus.

mens eſt,indéque digreſſum,illorum nemorum accola Eugenius excepit hoſpitio; cumque eo, ut ægrum animum conſolaretur, multa diſſeruit de divinâ juſtitiâ, de damnatorum pœnis, déque æternâ felicitate Sanctorum. Ergo meliori ſpe erectus Hugo, ut primùm diluxit, adjuncto ſibi Eremitâ ſocio, celeri curſu Florentiam contendit, convocatiſque primo quoque tempore civitatis Epiſcopo, ac ſpectatæ virtutis viro M. Roberto ejuſdem Epiſcopi affine, omnia ex ordine narrat, rogatque eâ de re ſingulos ſententiam. Tanquam inter ſacrum, & ſaxum anxium, jubent omnes bono animo eſſe, in idque conſpirant omnes, placandum eſſe Numen, novamque ad omnem pietatem vitam inſtituendam. Quibus Florentinus Præſul, ex imo trahens ſuſpiria, adjecit, benè habet, inquiens, Hugo Comes, patrem experiris Deum, non judicem. Qui ſi etiam cùm flagellat, pater eſt; quàm demùm amanter tecum egit, cui non ad feriendum intentavit flagellum, ſed præmonſtravit tantùm? Ultrò ergò ſequere invitantem, ne ſentias flagellantem. Unde egregiè animatus Hugo, nil priùs habuit, quàm ut, divenditis omnibus, ſive quæ in Germaniâ hereditario jure poſſederat, ſive quibus in Italiâ ab Othone munificentiſſimè donatus fuerat, quæ improbè peccaſſet, eleemoſinis redimeret. Itaque munificentiâ planè regiâ ſeptem Monaſteria diverſis in Hetruriæ locis conſtruenda curavit. In quibus Boniſolatii Cœnobium fuit, ubi cœleſti viſo admonitus tandem reſipuit.

Septem Monaſteria, inter quæ Boniſolatii Cœnobium, Hugo Comes ædificat.

Dominabatur per ea tempora latè toti Mugello Ubaldinorum gens inclyta, itàut, circumadjectis Alpibus minitabundo milite inſtructis, contra quemcunque Ciſalpinæ Galliæ impetum univerſam Hetruriam tutam præſtaret. Cùm ergo de hujuſmodi Monaſterio fundando cogitaſſet Magdeburgenſis; fundum ab Ubaldinis, datis literis, petiit, ne invitis dominis, pietati, privatiſque

vo-

votis videretur litare. Cujus æquissimis postulatis adeò splendidè clarissima illa gens assensa est; ut etiam gratis, amplissimum pretium pollicenti, tribuendum censuerit. Amplam, munificamque donationem Hugo Comes collaudat, admiraturque vel eo nomine, quòd, cùm familia potens, claraque opibus, secum ipsa per id tempus pugnaret; tamen ad ipsum eximio beneficio generosiùs ornandum egregiè conspirasse videretur. Ceterùm tàm Ubaldinorum cessionis, quàm Comitis gratiarum actionis testatæ, amplæque literæ exstant in ejus gentis historiâ, quam nostrâ memoriâ Hetruscis literis consignavit Johannes Baptista Laurentii filius Ubaldinus eleganter, & verè. Quam qui consulet, nec de Hugone fundatore, nec de Ubaldinorum liberalitate planè poterit dubitare. Cùm igitur erectum munificè Cœnobium, ut tulerant inculta nemorum, Cassinensibus, qui tunc florebant, attributum fuisset; ejus instituti alumni usque ad Cisterciensis Ordinis ferè ortum maximo cum splendore monasticam disciplinam extenderant, provexerantque: ex eo, ut sunt omnium rerum vices, retrogredi, sensimque fervor ille monasticus restingui cœpit, maximè in iis locis, qui procùl à frequentiâ erant. Cùm enim alieni contuitus non cavetur arbitrium, æquè peccatur licentiùs, ac periculosiùs. Itaque Hugoni Abbati, qui illic altioris potestatis ceteris jus dicebat, nemorum invitante secreto, facilè, ac pronum fuit, ad pleraque connivere; mox & deviis laxare habenas; tùm etiam nil pensi habere, an Dei cultus procederet, sublabereturque cessatione. Demùm cùm eò processisset inverecundior animorum laxitas, ut jam nec Florentinum Antistitem posset latere, ruituraque videretur in pejus, ni contractiori freno cohiberetur: Antonius Ursius egregiæ pietatis Episcopus, autoritate Summi Pontificis, vecordes compulit ad officium. Constitit autem egregiè navatæ operæ pretium. Siquidem præ-

præter Hugonem Abbatem, qui per id tempus cum eo degebant Monachos Simonem, Ubertum, Maurum, Rogeriumque lucratus eſt. Qui parentem Hugonem alacriter ſequuti Caſſinenſem atratum, cum albo Ciſtercienſi cucullo commutarunt, nomenque COLUMBANI Hugoni inditum eſt, ut ea à candidâ columbâ deducta agnominatio ſenis candidum animum, ſimplicitatemque deceret. Hujus præclari facinoris autor Antonius ille Urſius eſt, qui claſſicum contrà Hetruriam, (poſt in Neapolitanos inproſperè belli fortunam tentatam) Henrico VII. præcinente, Clerum ſub ſignis habuit, portamque, ut vocant, ad Crucem, quò totam belli molem irrupturam prævideerat, ſibi defendendam popoſcit: anceps in eo, dubiumque poſteris relinquens judicium pluſnè in ſacro viro pietas ergà divina, an militaris virtus ergà Patriam, animique magnitudo valuerit.

Hugo Caſſinenſium Monachorum in Cœnobio Boniſolatii Abbas, Ciſtercienſium Septimianorum ritus, mutatis nomine & veſte, cum nonnullis è Monachis libenter amplectitur.

Nec languit Columbanus deincèps, præclarique facti pœnituit unquam: quin ut generoſus equus, cujus aliquando inæquale ſolum feſellit veſtigium, calcaris, exiliſque virgæ admonitu erectior, cautiorque progreditur; ſic ille leni, mitique ingenio, ac ambitioſâ facilitate in ſuos tantiſper à propoſito lapſus, ità poſteà vitam inſtituit, ut appareret, ex periculo, caſuque redditum fuiſſe cautiorem. Nec minori animi ardore Simon, Ubertus, Maurus, Rogeriuſque partes ſuas in novâ vitæ inſtitutione explebant. Parenti enim Columbano ſimillimi, æmulâ virtute, ad ulteriores Chriſtianæ perfectionis metas aſpirare audebant: itàut præ illorum conatibus, juveniles impetus viderentur languere. Ceterùm Columbanus, magnum Septimianæ gloriæ incrementum, cùm uſque ad exactam vixiſſet ætatem, tùm commendatione virtutum, tùm felicitatis ingenti præmio victurus æternùm exceſſit è vivis. Boniſolatii verò Monaſterium, poſt reformatos Benedictinos, cum novis accolis, novam demutaſſe formam vi-

debatur : curáque Andreæ maximo incolentium commodo, jam novi exſurrexerant muri, quos, cùm ad Meridiem, æquatis ſpatiis, cellulæ, quæ vix iteratos hominis caperent greſſus, diſtinxiſſent; ſpes erat, ampliori multitudini ſuffecturos. Candidâ ergo Ciſtercienſium turbâ è Septimo egreſsâ, avia illa ſolitudo exultaſſe viſa eſt, divinisque laudibus lætiùs perſonuiſſe. Siquidem eos, quorum eſſet perſpecta virtus, feliciorque profectus, illùc optimo conſilio miſerat Andreas; & quibus haud vitæ tædium deſertus locus, ſed curam ſuæ ſalutis intentiorem poſſet afferre. Non abierant anni, & jam Monaſterium totum Ciſtercienſium moribus haud invitè obſequebatur. Non tamen parvi ſudoris fuit ſpontè adnaſcentia nemora ſubmovere, quæ ita improbè circumſederant ædificium illud, propiúſque premebant, ut, prolatis ad ima radicibus, perque vim fundamento diſciſſo, tantum ceteræ, eminentique moli attulerant vitii; ut inſtar mali punici cum maturuerit, minùſque jam capere cœperit turgentia grana, circumquáque tota dehiſceret. Sed à finibus Monaſterii, poſt longum exantlatum laborem, nemoribus utcunque remotis; non minor, ſeu cum latentibus, ſeu ſe prodentibus ſaxis reſtabat contentio. Quorum frequenti, pertinacique coitione cùm ſterileſceret ſolum; vixque tantillæ ſincerioris terræ reliquum facerent, quæ oleribus, frugiferiſque alendis arboribus (quorum annui proventus monaſticæ menſæ pro lautiſſimis cupediis erant) idonea videretur : multo labore ſudatum eſt, ut quæ circà Monaſterium inutilis adjacebat, frugum, arborumque patiens denique eſſe vellet. Itaque labore jam olim durati Monachi, iis armis, quibus viſcera terræ confici ſolent, ac volvi, lapidoſum ſolum aggrediuntur. Cúmque terram, quæ ingentibus lapidibus pro munimento erat, excavaſſent, divulſiſſentque; munimine deſtitutos per prona vallis facillimè devolvebant ad ima : diſpoſitoſque in gyrum quaſi

Plurimi è Septimianis Monachis ab Andreâ Abbate ad Monaſterium Bonifolatii mittuntur; ut ibi jam, ipſo dirigente, inſtitutum ſanctæ vitæ ordinem cum antiquis Monachis ſociati, felicitùs, ac ſecuriùs teneant.

quasi ad excubias pomerii destinabant. Collis in semitheatri coiverat speciem; est enim cum quádam decenti rotunditate quasi per gradus æquè acclivis, atque declivis, explicatque se demùm in brevem illam quidem, sed jucundissimæ viriditatis planitiem. Hanc collem, pomiferæ arbores, in quincuncem directæ, quæque frigori obsistunt valentiùs, jucundissimè complent, excubantibus, ut suprà diximus, in circuitu saxorum molibus, minantibusque prætereà procerâ Pinu, Cupressu, atque Abiete ad injuriam accedentibus. Commendabat amœnissimi horti jucunditatem circumstans silvarum horror, quarum infrugifera ligna haùd omninò sibi infelicia videri poterant, quòd si non ferre, in eodem tamen soli confinio diversi generis poma pendere sibi cernere contigisset. Monachis verò etsi jucunditati hæc erant, & commodo: eorundem tamen contemplatione admonebantur assidui, indefessique laboris ad virtutem. Et quidem Monasterium Bonisolatii quandiù res monastica floruit, optimo cuique Septimianorum pro cote perfectionis fuit, ad quam se acueret. Nullus enim ferè fuit, quem inculta illa nemora non reddiderit cultiorem: constatque, olim à priscis Cistercienfibus Monasterium Bonisolatii perfectorum officinam fuisse existimatum, quòd in eo ultimam manum recipere viderentur, qui digressi è Septimo illùc eminentioris exercitii causâ accessissent. Nullus tamen illìc Abbatis nomine ceteros moderabatur: sed sub vicariâ potestate ita degebant, ut unius Septimiani Abbatis exspectarent arbitrium. Quippè prudenti consilio ejus loci titulum suppressit Andreas, inque se, successoresque suos jus omne traxit. Qui mos cùm usque ad proxima nostris tempora perdurasset; coeuntibus demùm nomine CONGREGATIONIS, ut vocant, quamplurimis Monasteriis, uni Magistratui, quem selectissimi Patres explerent, parituris; pristinum jus, titulumque honora-

Egregia loci, in quo Monasterium Bonisolatii situm est, descriptio.

Monasterio Bonisolatii pristinum jus, titulusque honorarius Abbatis denuò restituitur.

rium Abbatis, denuò Bonifolatii Cœnobium accepit.

Ceterùm ſub præfectura Andreæ gliſcentis Septimianæ rei incrementum potuit videri fatale. Siquidem non multò poſt, cùm Moniales, quæ è veterno vitiorum ad S. Mariæ Magdalenæ puriorem vitam converſæ ad Portam Pinctiam Florentiæ Civitatis degebant, contigiſſet pudoris laxare cuſtodiam; timereturque ne vecordiam amantium, quæ inter muros Civitatis, Cœnobiumque ſolitudo latè patebat, acriùs ſtimularet: Antonius ille Urſius Florentinorum Antiſtes, cujus ſuprà cum laude meminimus, quâ erat indefeſsâ vigilantiâ in gregem, primo quoque tempore naſcenti, an provecto ſtatuit occurrere malo. Convocatoque Canonicorum Senatu, hìnc, indè graviſſimis dictis ſententiis, tandem evicit, ut alicui Cœnobitarum parenti traderentur regendæ. Florebant tunc Umbroſæ Vallis alumni, videbanturque hujuſmodi, quibus tutò ea provincia demandaretur. Itaque in Johannem Criſpinianum Abbatem ex conſenſu partium tranſtulerunt jus omne. Vixque Vallimbroſanus deviis corrigendis admoverat manus; acceptaſque poſſeſſionis conditiones publico firmaverat ſcripto; cùm è publicâ re junioribus tumultuantibus, ac ſi per vim ex antiquâ Cœnobii poſſeſſione fuiſſent depulſi: omnis ea deliberatio in diſcrimen, fœdamque ſeditionem adducta eſt, quæ non priùs ſedari poſſe videbatur, quàm acquiſito juri Vallimbroſanus nuntium remiſiſſet. Itaque ne cum recentèr acquiſito, jam olim poſſeſſum Criſpinianus Cœnobium cogeretur deſerere, ſi nuperum jus tuendo, Publicum pergeret irritare; Ruſtico Moranduccio viro prudenti, & navo honorario advocato ſequeſtro, ejus Monaſterii renunciandi, juſque in alterum transferendi liberam facit poteſtatem. Qui S. Donati Monialibus Ciſtercienſibus, corrigendas prudenter adjunxit, quò minor acquirentibus mulierculis, & alioquin ſuo ſexu tutis conſta-

Andreàs Septimianus Abbas Cœnobium S. Donati, Monialium Ordinis Ciſtercienſis ſaniori, ac ſtrictiori diſciplinâ feliciter informat.

flaretur invidia. Cessit res bellè: sensimque in Andream Septimianum Abbatem ex consilio Cisterciensium Monialium jus omne transfunditur. Qui, conditionibus, quæ inter utrumque Cœnobium ex icto fœdere intercesserant, antiquitatis, illùc sui Ordinis Monialium missâ coloniâ; quas amatoria vesania transversas egerat, ad meliorem frugem sapientissimè revocavit: aluitque, quoad vita suppeteret, quotannis certâ pecuniæ summâ pendendâ. Quibus communi fato exstinctis, præclusoque deinceps aditu, ne qua ibi semel corrupta reciperetur; ita in eo Cœnobio Cisterciensis disciplina coaluit, ut cum quolibet cœtu Virginum de dignitate, deque virginitatis gloriâ videretur posse certare. Quæ verò posteà illis exstiterint causæ, cur ad S. Donatum antiquum domicilium se se receperint, cesserintque nostris Septimianis insigne Cœnobium, uberior dabitur infrà narrandi occasio, cùm in illud tempus inciderimus, quo ea rerum conversio facta est.

Tulit eadem ætas, quâ præfuit Septimianis Andreas, par nobile Monachorum Talentum, atque Bernardum, qui simul à teneris annis in Septimo educati, edocti, id, glifcente ætate, virtutum specimen dedêre, ut omnibus anteà viderentur admirationi esse, quàm penè cogniti. Utrumque generis, avitæque laudes extulerant; propriæ verò quas sibi assiduo sudore paraverant, hauserantque ex Septimiano Lyceo, utrumque ad invidiam exornârant. Adeò alter alterum referebat æmulatione virtutis, ut etiam minimè curiosus posset advertere, pertinacissimum inter eos de virtute exarsisse certamen. Nil illis disjunctius, si communem salutationem, familiaremque consuetudinem spectares: iterùm nil illis conjunctius, si parem in virtute conatum intuereris. Sanè id egerant, ut intelligerent omnes, tacitâ opinione virtutis strictiùs, suaviùsque animos jungi, quàm fabulatione, mutuis officiis, convictu, quæ sæpiùs simulata scena vultus ad ostentationem

Dignis laudibus celebrantur Talentus, & Bernardus Monachi Septimiani.

nem

nem confingit. Paribus denique ſtudiis junctos, haud diſpar dignitatis gradus diviſit.

Talentus ad Monaſterium S. Galgani pacis arbiter directus, ibidem Abbas à Monachis renunciatur.

Siquidem cùm per eos dies Monaſterii S. Galgani, cujus ſuprà prodigiis nobilitata retulimus initia, Abbatem diuturnior febris exſtinxiſſet; nutarentque in novo deligendo ſuffragia: nihilque jam propius eſſe videretur, quàm ut eligentium ſtudia ſcinderentur; itum eſt ad Septimianum Andream, ut mitteret auxiliares viros, quorum momentis prudentiæ, res inclinaret ad optimum. Non abnuit Andreas: illúcque miſſo Talento, res eò tandem recidit, ut qui arbiter honorarius advenerat, Abbas S. Galgani omnium votis renunciaretur. Quippè ſeipſam commendaverat virtus, oſtenderatque dubiis animi quem requireret potiſſimum ſanctitas legum. Nec multò poſt, Abbate Montis Amiati, in finibus Senenſium Cœnobii celebris, de quo ad calcem operis fortaſſe plura, eodem fato functo; ejus Monaſterii alumni, vel S. Galgani Monachorum recentis, ac pulcherrimi facti æmulatione; vel Johannis, quem aliquando ex Septimo ſalutarem Paſtorem experti fuerant, ſuavi recordatione; vel innocentis vitæ famâ, quæ pleroſque rapuerat: Bernardum Septimi alumnum Abbatem creant. Non fefellit utriuſque Cœnobii ſpes par in utroque viro virtus. Statim enim optimorum imitatione Parentum is factus eſt animorum motus, atque ad perfectionem ardor; ſtudioque adeò felix reſpondit eventus, ut jam Septimianos in illo conatu viderentur æquare.

Bernardus Septimiani Cœnobii Monachus eligitur in Abbatem Monaſterii Montis Amiati.

Utriuſque Abbatis in promovendâ regulari obſervantiâ in Monaſteriis paſtorali eorum curæ creditis, par felicitas.

Interim Carolus Roberti Regis filius Calabriæ Dux, ac Florentinorum Dominus, cùm ex immodico, intempeſtivoque aucupio, ac venatione letalem incidiſſet in febrim, paulò poſt Neapoli magno Parentis dolore vitam finivit. Cujus gravi dominatu aliquando tandem levati Florentini, tùm demùm ad veram libertatem aſpirare auſi ſunt; agitatiſque conſiliis, quæ diuturnior, con-

ſul-

ſultiorque calamitas ſuggerebat: in eam ſententiam conſensêre omnes, nimiùm afflictæ Urbi ſublevandæ, novo regimine, novâque creandorum Magiſtratuum ratione opus eſſe, utque civibus libertas, ſaluſque tandiù exoptata rediret. Miſera enim ubique, fœdaque facies rerum ſub Calabro Duce obverſabatur ob oculos. Siquidem nullibi incorrupta judicia; nulla reverentia fori: in nobilibus ambitus ardens: plebs ut plurimùm diſciſſa in partes, more infamis, procelloſique Euripi exæſtuans, auro, pecuniâque potentibus omnia pervia; unumque Duci, adminiſtriſque conſilium, publicum exhaurire ærarium, ut, ſuccisis nervis, poplitibuſque virtutis, nulla ſpes miseris eſſet teterrimæ excutiendæ tyrannidis. Nulli licebat ad Magiſtratum venire, niſi quem priùs commendaſſet pecunia. Oppidorum Præturæ certatim coemebantur; & ut ratio conſtaret emtoribus, plus deinde pecuniæ per vim exprimebant à ſubditis, quàm nefario, ſordidoque ſceleri perpetrando repræſentaſſent, ut interim ſuo pretio iniqua licitatio non careret. Quæ omnia utcunque tolerabilia potuiſſent videri, ſi non etiam ad ferenda inter Cives gravia, atque implacabilia odia fuiſſent adminiſtrata. Modò verò ità infelicium Civium fortunas malis artibus in ſe trahebant; ut vanis ſuſpicionibus anxios invicem crudeliſſimè committerent. Arbitrantur enim ſævi Tyranni vix ſe tutò imperare, ubi ſubditi tranquillè agant, civilique otio perfruantur. Itaque cùm iis malis una mors Principis videretur finem allatura; tandemque attuliſſet: reſtabat ut communi conſilio ratio iniretur, quâ recuperata utcunque libertas diuturnior perduraret. Quoniam verò nulli dubium erat, ex uno ambitu civilia odia ferè prodire; placuit ad ſecreta ſuffragia, ſortemque, Magiſtratuum electionem rejicere. Arbitrabantur enim, fore ut haud alter alteri invideret, quod ſors ipſa dediſſet. Tùm timendum non erat, ne aut præceps, aut turpiſſima licitatio

Carolo Roberti Regis filio Calabriæ Duce, ac Florentinorum Domino extincto, Florentini ad priſtinam libertatem recuperandam conſpirant.

Lugenda, ac deformis Civitatis Florentiæ facies, cùm Dux Calaber rerum potiretur.

Suffragiorum ſcrutinio viri Religioſi à Florentinis adhibentur.

tatio indignis ad Magiſtratus gerendos patefaceret aditus. Ne verò ſaluberrimis legibus aliquid ſubeſſet fraudis; ſuffragiorum ſcrutinio Cœnobitas Prædicatores, Franciſcanos, Eremitanoſque per vices ſibi ſucceſſuros, viros in primis graves, ac ferè externos adhibuerunt. In hunc verò modum ſortem legebant. Cùm ſelectiſſimi quique Patrum ad conſilium coiviſſent, proclamatiſque Civium nominibus, quos pridie ejus diei ſors ex urnâ vocaſſet in certum eorum numerum, rejectis, quos minus idoneos judicarent, favorabilia ſuffragia conferebant; quos iterùm in ſchedulis perſcriptos anguſtiori ſacculo coercebant coràm confertiſſimo Senatu iterùm ſortitò legendos.

Mira ratio ducendæ ſortis apud antiquos Florentinos.

Et ità quidem præcipui Magiſtratus allegebantur. Qui verò deſtinabantur ad tenuiores oppidorum Præturas; eos ſacci laxiores, propriâ notâ ſignati habebant, prolixiori Fortunæ contemtui futuros. Ceterùm ne uſquequaque ſors cæca erraret; ab hujuſmodi ſchedulis arcebant inſigniter facinoroſos, decoctores, deſertores Patriæ, altero Magiſtratu implicitos, ſimilique proximè functos, publico ærario debitores, ex eâdem familiâ plures, quibus eadem ſors munerum intrà præfinitum tempus contigiſſet. Atque ut urna ſincerior eſſet, nullique fraudi pateret; eam capſa triclavis claudebat, quarum una apud Ciſtercienſes Converſos, qui ſuprà Civitatis armamentarium excubabant, aſſervabatur: alteram Fratrum Minorum fidei crediderant: tertiæ jus, Capitaneo, ut vocant, populi erat. Contigit autem noſtris is à Florentinâ Republicâ honos, tempore Andreæ: ſenſimque, ut varii tulêre caſus, Dominicanis, Eremitanis, Franciſcaniſque ſubmotis, unos Ciſtercienſes Converſos ad ſcrutinia ſortium, claviumque cuſtodiam adhibuerunt. Itaque in eo munere illibatam diù Ciſtercienſes fidem probârunt; ut ſi, ea tantùm quæ cum publicâ re conciderunt, munia excipias, quæ non tàm amiſerunt, quàm deſierunt exercere; etiam poſt totius

Unis Ciſtercienſibus collata privilegia illibata, & intacta ſervantur; dum ceteris viris religioſis auferuntur.

totius Hetruriæ Imperium feliciſſimo omine ad Mediceos Principes translatum, publica ſcrutinia ſortium moderantur hoc tempore, claveque, quam adhùc aſſervant, omnem ab urnâ fraudem excludunt. Haud pœnitenda omninò hæc noſtra tempora videri poſſunt; quando ita graviſſimorum Patrum purpura Cucullatos admittit, ut ex ipſorum acceſſu, interventuque, & publica ordiantur, expediantque conſilia, & ſeligant profuturos Reipublicæ Cives, & ſupprimant Magiſtratus, & creent: velintque, ex eorundem fide arcana ſortis pendere.

Squalebat per idem tempus, totius Civitatis Florentiæ opulentum S. Mariæ Cœnobium, Caſſinenſis inſtituti, importunáque morte gravium virorum, ità mores abierant in deterius; ut averſati malum, qui languebant, Johannem S. Theodori Cardinalem, ad cujus nutum res Caſſinenſis eo tempore adminiſtrabatur; quique Johannis XXII. Pontificis Maximi Avenione degentis nomine ſummâ cum poteſtate toti Italiæ præerat, enixis precibus interpellarent, ut adhibitis viris idoneis, qui monaſticam rem callerent, haud dubiâ ruinâ nutantem regulæ diſciplinam fulciret. Annuit ille ſemel, & iterùm ſupplicantibus, evocatoſque è Septimo Gregorium Tuccium, ac Bartholomæum Perium, viros monaſticâ diſciplinâ florentes, ampliſſimoque diplomate donatos, ad collapſam ejuſdem Monaſterii regularem obſervantiam ſublevandam eâ lege deſtinat, ut eodem & ipſi induti atrato cucullo, nonniſi tanquam ex ipſis pulcherrimo operi promovendo adjutrices porrigerent manus. Religioſiſſimos tantorum virorum in excolendâ vineâ Domini Sabaoth conatus ità felix, fortunatuſque eventus excepit; ut apud Hetruſcos Caſſinenſes nullo unquam tempore Septimianorum memoria interitura videatur.

Gregorius Tuccius, ac Bartholomæus Perius in reformandis Caſſinenſibus Monachis Florentinis, ex reſcripto Apoſtolici Legati, egregiam, ſtrenuamque navant operam.

Ceterùm non erit abs re (quando ſemel, & iterùm harum ad mores defœcandos in hujus operis decurſu miſ-

ſionum meminimus) paucis docere lectorem, priſcos Eccleſiæ Pontifices optimam corrigendi mores inſtituiſſe rationem; ac tria, quotieſcunque correctio adhibenda foret, ſanctiſſimè excogitaſſe. Primùm, ne qui leges dicerent, diverſi, atque adeò ignari inſtituti eſſent; nevè citrà neceſſitatem, novis ingeſtis legibus, veteribus aliquid detraheretur: tertiò volebant, ut qui ceteros caſtigarent, eandem & ipſi limam præceptorum ſubirent.

Priſcorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Pontificum in reſtituendâ primigeniâ Monaſteriorum diſciplinâ, plena prudentiæ ratio mirum in modum adhibita.

Et quidem ut nullus ſit, cui ſimile monſtro non videatur, ſi artificum aliquis ſuæ artis fines transgreſſus, alteri præcipiat, cujus omninò opificii ſit ignarus: ſic meritò riſum, & quidem excuſſum commoveat, ſi, qui ad ſuum arbitrium vivat, illigatum votis conetur moderari; luxuque diffluens ad continentiam vocet: demùm compellat ad Clauſtrum, cujus ubique, & ſemper irrequieta vagatio ſit. Turpiter, graviterque hujuſmodi correctorem morum in multis hallucinari neceſſe erit. Vel enim ex ſuo ingenio ceteros finget; & ita languidus erit, ac diſſolutus: vel ad præſcriptum legis cuncta exiget ſuperſtitioſè; & rebus ſingulis accuratè non perpenſis, non hominum moribus, defectuque naturæ, præpoſterus, crudeliſque evadet: dúmque ſummum perſequetur jus, injuriam planè ſummam immerentibus ſe intuliſſe, plerunque mirabitur. Optimè igitur Ageſilaus cenſebat, pulcherrimas imperandi, parendique artes apud Lacedæmonios diſci ſecuriùs, ubi non verbis de optimo Reipublicæ ſtatu diſputabatur;ſed Civium moribus honeſtiſſimæ rei exemplum exprimebatur. At qui, quid aliud rei, quam aggreditur, afferat imperitus, niſi inania verba, inconſultumque impetum, cui nulla expertæ rei momenta afferant gravitatem?Itaque rectiſſimè priſci Pontifices,ſicubi monaſticam diſciplinam collapſam pervidiſſent;ejuſdem inſtituti Monachis demandabant onus: ut ad corrigendos mores priùs ipſi correcti accederent, gnarique rei gerendæ haùd exerrarent à regulâ.

Luculenta Ageſilai ſententia.

Ca-

Cavebant item superfluas leges, vel ne veteribus inferri videretur injuria, vel ne serpendi præsentissima morbo daretur occasio. Ubi enim lex lata fuerit; è vestigio & fraus armatur ad scelus, quòd libertatem tot confici vulneribus arbitretur, quot leges Magistratus ediderit. Ut jam meritò dixisse videatur ille: ubi permultæ leges essent, ibi plurimùm vitiorum inveniri. Quid? Quòd religiosi status ejus non sunt generis leges, quæ pro temporum sorte, ac moribus hominum facilè mutari possint, ac debeant. Cùm enim unius progressum virtutis respiciant, quæ semper in arduo est; priscique Patres eas, simplicissimè præcipiendo, coegerint præceptiones, quæ ad optatam illius metam perducunt: nil jam addi posse videtur, nisi fortè quod humanæ mollitiei per summam vecordiam adblandiatur, moliaturque progredientibus moram. Ipsi, & magno quidem rei monasticæ incommodo, experimur hoc tempore, quàm pleraque ad regulam longiora commentaria, constitutionesque, priscam vivendi rationem, hoc est, sanctissimam, & severissimam sustulerint; novam verò, hoc est, elumbem, ac languidam invexerint. Pausaniam illum præstabat audire, cujus de hâc re rectior videtur fuisse sensus cum diceret: *Legibus convenire autoritatem in homines, non hominibus in leges*. Cujus quidem Apophthegmate illi non obscurè carpuntur, qui interpretando, eam vim legibus inverecundè solent afferre, ut non tàm quod ipsæ præcipiunt, quàm quod ipsi callidâ interpretatione invertunt, suspenso vulgo venditare videantur. Meritò ergo superioris seculi Pontifices languidiores Monachos, per probatissimos ad unius regulæ puritatem provocabant; ut simplicitati præceptorum assueti, haud callidâ tergiversatione diverticula quærerent deinceps remissionis.

Pausaniæ dictum argutissimum.

Jam quanti momenti sit, illum, qui aliorum fingat, instituatque mores, quæ præcipit, convictu ipso, exem-

ploque probare, nullus eſt, qui ignorare poſſit, niſi qui ſui penitùs obliviſcatur. Nil tamen perſpicuitati rei offundent caliginis graviſſima Lactantii Firmiani verba, quæ ità in propoſitum noſtrum quadrant, ut quam tractamus, nullo noſtro labore rem omnem evincant. *Quicunque*, inquit, *dat præcepta hominibus, ac vitam, moreſque fingit aliorum; ſi quidem bona ſunt, quæ præcipit: at ipſi eodem modo vivendum eſt, quo docet eſſe vivendum. Si alıter ille vixerit, præceptis ſuis fidem detrahit, leviorem que doctrinam ſuam facit, ſi reipsà reſolvat, quod verbis nitatur aſtringere. Cùm igitur quis non faciat quæ præcipit; quæ inſolentia eſt, ut homini libero imponere velit leges, quibus ipſe non pareat? Homines enim malunt exempla, quàm verba. Quia loqui facile eſt, præſtare difficile.* Hactenùs Lactantius. Atque id ſcilicet cauſæ fuit, cur toties aliis ferre ſuppetias juſsi, eodem quà convictu, quà cultu veſtium, cùm iis, quos ad virtutem informabant, viſi ſunt Ciſtercienſes, remque quamcunque aggreſsi fuiſſent, felicìſsimè, ut proximè vidimus, explicarint.

Lactantii Firmiani ſententioſa verba.

Inter hæc cùm ad decem & octo annos præfuiſſet, moritur Andreas; vir in non paucis fortunatus, ac felix; cujuſque operâ non modò amplior pietatis cultus in Hetruriâ refloruiſſe viſus eſt, ſed etiam res Septimiana ità creviſſe, ut eos palmites, quos poſteà felicìſsimè emiſit, jam indè prolatura ſperaretur. Conſequuta autem ejus mortem ea tempora tradunt, quæ tùm nobile, tùm pertinax animorum diſsidium morte Parentis ſuſpenſis attulerint. Cùm enim Septimiana præfectura, ſive ob fortunarum ſplendorem, ſive ob ſanctimoniam loci, honori jam haberetur, & gloriæ, Placidus Ugolinus nobilis Monachus, clariſque affinitatibus potens, cùm & jam pridem, & poſt exceſſum Andreæ, ardenti, exertoque ambitu ad ejuſmodi gradum anhelaſſet; ac ſe ſe tandem obtuliſſet occaſio; va-

Vitam cum morte commutat Andreas Abbas Monaſterii Septimiani.

vacuusque meritis pertimeret, ne tàm inverecundæ petitionis cogeretur ferre repulsam, armatus affinibus, illatoque terrore iis, ad quos spectabat electio, magnâ totius Comitii consternatione in Septimianam sedem tandem subvehitur. Sed vix cogentium deferbuerant minæ, cùm Ugolini ejuratâ electione, quam justus anteà timor expresserat, ad urnam iterùm Monachi coivêre, statimque ex meliorum, seniorumque voto Remigius è Sapitâ gente nobilis Florentinus Septimi Abbas dictus est. Hinc itaque dùm ille jus suum tuetur; hic ex summâ animi moderatione ad præfecturam trahitur invitus, scissa Monachorum studia sunt, longaque, eâ de causâ, concertatio fuit. Quam demùm Benedictus XII. qui anteà Jacobus Fornerius Cardinalis ex Ordine Cistercìensi, ad Apostolicam Sedem non ita pridèm fuerat evectus, diremit. Siquidem hortatu Abbatis S. Galgani, hominis justi tenacis, ac fervidi, utroque, scilicet Remigio, ac Placido, vocatis in Galliam, favente etiam fato, quod alterum, adhuc pendente lite, sustulerat, Remigio adjudicavit: acceptisque à Portuensi Cardinali, jussu Pontificis, solemnique ritu, præfecturæ insignibus, in Italiam rediit: clavumque Septimianum, magnâ bonorum omnium gratulatione, regendum suscepit anno MCCCXXXVIII. Hic Parisiis nobiliter eruditus, ità sacrarum literarum scientiam conjunxerat cum linguarum peritiâ, ut inter utramque sublato dissidio, quandiù vixit, Septimianis suis pro oraculo fuerit, ac sacro lyceo. Eminebat verò in eo vitæ integritas singularis, ita ut moriens ob eximiam opinionem sanctitatis à ceteris Septimianis Abbatibus seorsùm tumulo sub altare S. Gregorii templi Cistercìensium, tanquàm sacrum depositum, fit honorificè exceptus, ac multo post inventus, proque Remigio agnitus, maximo sit habitus in honore. Satis constat, virum præclarum ad justitiam instituisse multos; literis verò mandasse aliquid, non item. Visuntur

Ugolini Monachi Septimiani ausum effrene, & inverecundum.

Remigius Monachus Florentinus in Abbatem Monasterii Septimiani eligitur.

Remigii eximiæ dotes recensentur.

tur tamen inter Septimianæ Bibliothecæ reliquias, quàm plurima anonima manuſcripta volumina cum commentariis in Pſalmos, Job, reliquoſque Prophetas, quæ illuſtris famæ virum haùd dedeceant. Ciſtercienſium Monachorum tamen eſſe non ambigo, quòd ſuaviorem Bernardi ſtylum redoleant, in quo æmulando, imitandoque, multorum per ea tempora exarſerant ſtudia. Si quis autem miretur,priſcorum Ciſtercienſium,præter unum Bernardum,haùd multa hoc tempore legi;cogitet,tam ſeverè de libris edendis, evulgandiſque, Patres Ciſtercienſes ſanxiſſe, ut ſeverior lex, vel ex parte ad gloriam reſtinxerit impetus, vel intrà domeſticos compulerit parietes. Floruiſſe verò multos in Ordine literarum peritiâ, & quidem omni exceptione majores, nulli dubium eſſe poteſt, cùm tot pro Eccleſiâ Dei ediderint glorioſa facinora, quæ nonniſi à ſapientibus, & bonis præſtari potuiſſent. Offendebantur interim multi, quòd præter paucos, quos ſuprà ceteros, Eccleſiaſticæ dignitates extulerant, in univerſum Ciſtercienſes laterent,ac ſcholaſticum ſolem, ac pulverem pannoſi homines reformidarent. Itáque à Franciſcanis, Dominicaniſque, pro idiotis, ac rudibus haberi cœperunt, illoſque ſæpiùs exagitarunt, ut autor eſt Matheus Paris in Anglicanâ hiſtoriâ: tandem anno MCCXL. Henrici III. temporibus ab Innocentio IIII. Pontifice impetrarunt, ut excolendi ingenii gratiâ celebriores Academias ſibi adire liceret, inque ipſis excitare Collegia. Quanto id ſucceſſerit Ordinis commodo, infrà fortaſſe narrabimus, ſi ejus rei memorandæ opportuna ſeſe obtulerit occaſio. Et eo quidem tempore,ut ſuprà diximus,nobiliſſimæ ultrà montes nationes in luce hominum ſcholaſtica ſtudia urgere cœperunt. Seriùs omninò ad eam ſtudiorum laudem Ciſtercienſes Itali, ſi paucos excipias, excitati ſunt. Umbratilem enim illam, quam libri docent in umbrâ, & otio ſtudendi rationem, impenſiùs coluerunt. Quam cùm mo-

Ciſtercienſibus ad celebriores Academias aditus aperitur.

moderatio monaſtica cum quádam interiori ſuavitate maximè commendaret; tardius, ægriúſque depoſuerunt. Vix quinque, ſuprà viginti anni excurrunt, cùm Italicæ Ciſtercienſis Congregationis, pleriſque mirum, ac novum viſum eſt, Hilarionem Rangonium ex Inſubriâ Monachum Ciſtercienſem, magni ingenii virum, Ticini: ex Hetruſcis verò Romæ nonneminem de rebus philoſophicis, ac ſacris, publicè diſputationem inſtituiſſe. Quin ipſe memini, ex Hetruſcis ingemuiſſe non paucos graviſſimos Monachos, quòd in magnâ Florentinâ Academiâ, Danthis Aligerii Poetæ, carminum aliquot ex quodam Paradiſi cantico, magno nobilium concurſu, ad laudem ingenii, quidam ex noſtris Hetruſco ſermone ſenſa promſiſſet. Non enim tam mirabantur factum, quàm extrà clauſtrum factum dolebant. Adeò ſanctè ad quadringentos fermè annos, ex quo Ciſtercienſibus Septimum attributum eſt, ſeveriora, ac recondita Monachorum ſtudia ſola clauſtra noverunt. Ceterùm quamquam hæc obiter dicta ſint, & verè; Remigio tamen noſtro, vel Patris, clariſſimi, & conſultiſſimi viri beneficio, qui apud Regem Galliæ pro magnæ Britanniæ Rege ſtatarius legatus per id temporis cauſas perorabat, in Pariſienſi luce tandiù verſari licuit, quoad indè Doctoralem lauream referret: vel quòd jam in Ciſtercienſi Ordine mos inoleviſſet, illùc ex omni gente mittendi alumnos, qui in divinâ ſapientiâ impenſiùs excolerentur. Hic ergò cùm ſanctimoniæ, doctrinæque odore Ordinem noſtrum reſperſiſſet; poſt decem annos ſuæ in Septimo præfecturæ, amabilis hominibus, Deo charus, implacabili morbo ſubtrahitur: ſtatimque demortuo ſuffectus eſt Bernardus Lamberteſcus notæ proſapiæ Florentinus, vir in primis egregius, ac tanto oneri non impar futurus. Hic, ut plerique alii, invidam ſuperioris ætatis taciturnitatem, quaſi duriorem novercam expertus eſt, quæ, funeratis virtutibus, ſuave tantùm

Multi graviſſimi Monachi eam ſtudiorum rationem improbant, quam Monachos autumant dedecere.

Mors Remigii Abbatis Septimiani. Cui ſufficitur Bernardus Lamberteſcus.

tantùm Bernardi nomen posteris reservavit. Nisi fortè apud antiquos Septimianos satis laudari erat, eâ lege silentio præteriri, ut intelligerent omnes, ita demùm vixisse eum, cujus nudum nomen fastus haberent, ut ejus anteactæ vitæ decora nulla possent verba æquare. Ad XII. itaque annos Bernardum præfecturâ functum subsequutus est Petrus Cambinus nobilis Florentinus laureâ Parisiensi, doctrinâque clarissimus, qui à primis annis educatus in Septimo, edoctus verò Parisiis; ut primùm per ætatem licuit, S. Mariæ Mattiniæ, ut vocant, Diœcesis S. Marci in Calabriâ Abbas dictus est: deindè cum provectiori ætate esset, meritisque clareret, in Hetruriam evocatus, Septimianos suos, totos quindecim annos summâ cum laude rexit; vir planè dignus, qui illustriorum Abbatum Septimi seriem exornet, recenseaturque inter eos, qui claris operibus, vitæque sanctimoniâ Ordinem illustrarunt. Ceterùm Petrus non priùs è vitâ discessit, quàm ob revectam in Italiam ab XI. Gregorio Apostolicam Sedem in communi omnium gentium gratulatione lætatus sit. Successorem verò habuit Johannem Sangallum Florentinum, qui privatæ vitæ potiùs commendatione, quàm septem dierum præfecturæ, quibus omninò vixit, fuit illustris. Hîc aut me valde conjectura fallit, aut quorundam nobilium ambitus ardens, post mortem Johannis, jus Septimianum creandi Abbatem semel, & iterùm ad Romanum Pontificem traxit. Certè constat, ex Pontificiâ autoritate Thomam Bartholum Florentinum, Septimianis, quorum alumnus erat, impositum fuisse Abbatem: iterúmque post aliquot annos suæ administrationis ab eâ provinciâ, incertum, quibus de causis, fuisse amotum. Cujus quidem dignitatis nulla alia exstant vestigia, quàm Martyris Quintini ex aurato ære affabrè factum conceptaculum. Post quem eádem nixus autoritate, Michael Cipollonus spectatæ nobilitatis Florentinus, ex Or-

Mortuo Abbate Lamberteſco in Abbatem Septimianum eligitur Petrus Cambinus Doctor Parisiensis.

Johannes Sangallus Florentinus Petri Cambini Abbatis Septimiani successor.

Thomas Bartholus autoritate Pontificiâ Abbas creatus.

Michael Cipollonus Abbas.

Ordine anteà Cifterciensi Narbonensis Abbas eundem gradum dignitatis conscendit, exercuitque, quoad Septimo præfuit, in universos Italos Monachos vicariam potestatem. Verùm non multo post, eodem Pontificis jussu, magistratu abiit, dubium, an impar imposito oneri, an suffecturus majori. Perantiquus tamen codex ex albo Septimianorum Abbatum utrumque dispunxit; sivè quòd uterque eâ dignitate spoliatus decessit, sive quòd eâ serie posteris indigni visi sint, quos ambitio dehonestasset.

Felix Abbas Septimianus doctrinâ & gravitate spectabilis.

Amotum Michaëlem Felix excepit: quem, virum & doctum, & gravem, docet, fuisse Pyerius Salutatus Colutius, in nuncupatoriâ ejus libri epistolâ, quem de Fortunâ, & Fato illi inscripsit. Cùm enim Felix nobilis Perusinus de Patriæ calamitatibus, ærumnisque cum Colutio, quo familiarissimè utebatur, sæpissimè fuisset conquestus; Colutius quasi solaturus amicum, de Fortunâ, & Fato talem edidit librum, qui nobis illam Poetarum Fortunam, vulgique ludibrium, importunè reveheret, levem scilicet Deam, cœcam, & cui plus plerunque vitiorum affingant levissimi homines, quàm in malè sano ferremus. Quibus næniis cum divinam illam, ac infallibilem tollere videretur Providentiam, aversatus est poeticâ licentiâ scriptum librum Septimianus Felix, castigavitque amicum, opportuniore illum sapientiâ in summæ mentis contemplationem reducendo; quæ omnia suo arbitrio constituit, quæ naturam condidit, quæ rebus causas dedit, easque perpetuò abditissimâ ratione propagat: docendoque, nullum aliud fatum, quàm inhærentem rebus mobilibus immobilem dispositionem, per quam divina Providentia suis quæque nectit ordinibus: nullumque alium casum, fortunamque Christianis hominibus, atque adeò sapientibus viris cognitam esse, quàm accidentariam causam in iis, quæ alicujus finis gratiâ ex electione,

consilioque administrantur: quæ tamen esse Fortuna desinit, casusque, si Deus ipse spectetur, extrà cujus Providentiæ regulam nil temerè, fortuitóque potest accidere. Nihil enim in istâ totius creaturæ amplissimâ quádam, immensáque Republicâ est, ut Augustinus inquit, *Quod non de interiore, atque intelligibili aulâ summi Imperatoris, aut jubeatur, aut permittatur.* Quoniam verò libellus, ut statim prodiit, sic & in vulgus dicto citiùs sparsus est, atque ob celebrem famam auctoris avidissimè à plerisque legi est cœptus (siquidem is ille Colutius est, quem Florentina Respublica diù à secretis habuit, quique rudi illo seculo in literatis summus habebatur, itàut Mediolanensium Dux Johannes Galeatius dicere soleret, plus se unam Salutati Colutii epistolam, quàm viginti millia Equitum perhorrescere) Johannes Dominici ex Ordine Prædicatorum Cardinalis Florentinus, religionis zelo succensus contra Colutium strinxit stylum, editoque insigni libello, cui Luculæ nomen fecit, obsoletas nænias, ac deliramenta Colutii doctissimè profligavit. Exstat Salutati Colutii liber in Mediceâ Bibliothecâ, in quo, præter Septimiani Felicis unas verissimas laudes, nil planè reperias, vel docto viro, vel erudito dignum. Ceterùm noster Felix, minùs in eo felix fuisse videtur, quòd cùm diù, hoc est, ad triginta & tres non minùs annos Septimiano præfuisset Cœnobio; nullum tamen benevolum scriptorem invenit, cujus industriâ, scriptisque illustrior ejus ad nos dimanaret memoria.

Johannes Dominici Cardinalis Florentinus ex Ordine Prædicatorum Pyerii Salutati Colutii errores contentos in Opere de Fortunâ, & Fato strenuè confutat.

Ab eo, Julianus Lapinus Monasterium Septimianum habuit. Hic privatus dùm egit, haud omninò malus Monachus fuit: vigilare, orare, legere libentiùs, secum ipse manere frequenter, rariùs egredi, labore otium jugulare. Statim verò, ut aliis præpositus est, adeò latentes, sopitasque cupiditates solvit; ut appareret, haud potuisse illum æquis viribus præfecturæ dignitatem pati, ac privatam, quie-

In Felicis Abbatis Septimiani locum succedit Julianus Lapinus, cujus lugendus in præfecturâ lapsus, & errata referuntur.

quietamque vitam tulisset. Omninò non absurdè à naturâ constitutum est, ut inquit Philosophus, alii ut imperent, alii ut pareant. Quem ordinem si quis conetur invertere, præter eam, quæ consequetur, vitæ perturbationem, haud sapientiùs faciat; quàm si proceræ regendæ arbori tortuosam, imbecillamque vitem adhibeat, aut serpenti hederæ alieno suffultæ præsidio, nutantem totam parietis molem sustinendam demandet. Quæ una, ni fallor, ac potissima ratio fuerit, cur multi imperando deteriores evadant, qui privatè agendo, maximè sapuissent. Nempè à naturâ præscriptos limites temerè transgrediuntur, intrà quos si se religiosiùs continuissent, nil illis fortasse melius fingi potuisset. Quamquàm non negem ex ipsius potestatis ingenio multa prodire, quæ optimos mores, & ad imperandum alioquin unicè factos corrumpere possint: ut si soli imperent; si perpetuò; si in magnâ honorum, opumque abundantiâ versari contingat; si denique parendi artis imperiti omninò, ad imperandum accesserint. Nam & qui superiorem nullam timeat potestatem, repagula plerunque perfringet officii: perpetuoque assuetus imperio, insolenter se geret: turpique luxu frangetur, cui superfluant opes: denique qui alienum aliquando haud toleraverit imperium, quid nisi in alios Manliana imperia?

Ac non dubito, quin multa huic nostro defuerint, plurima verò obfuerint, qui tam fœdè sit lapsus. Siquidem aliorum curæ admotus, sui ipsius penitùs oblitus est, divinamque rem fluxis, caducisque posthabuit. Hinc inerti otio delectari, confabulari liberiùs, mensam instruere lautiùs, longiorem psalmodiam odisse, frequentissimè volitare per urbes, Monasterii censum vexare, distrahere prædia, supellectilem expilare, quæ liberè haud vendi poterant, sordidissimè oppignerare. Refert Augustinus Infangatus Cisterciensis, qui à Julianis propiùs abfuit

temporibus, cum ejuſmodi domeſtici peculatus ſtylo ſanè peracri miſerias memorat, ne, quæ in cavædio quidem ad olera nutrienda de induſtriâ relinqui ſolet, tellurem liberam habuiſſe Monachos. Adeò nepotinâ illâ ſuâ adminiſtratione omnia ſubverterat. Non defuerunt ex Monachis prudentioribus, qui deplorati hominis infinitam luxuriem ſeverioribus caſtigarent verbis, quique precibus retrahere conarentur errantem. Sed irritæ preces incaſsùm cadebant. Deſpotico enim dominatui ſemel aſſuetus, ſupplices Monachorum voces ſuperbiſſimâ aure aſpernabatur, ruebatque in pejus: eoque tandem dementiæ prolapſus eſt, ut cum haud quaquàm jam videretur ferendus, Florentini, qui ob egregiè navatam ſuæ Reipublicæ operam, Ciſtercienſes ferebant in oculis, debacchantem illum in Monaſterii fortunas, ad Romanum Pontificem (is erat Eugenius IIII.) detulerint.

Sommi, ſeu, ut loquitur Autor, *Deſpotici*, imperii infinita propemodùm incommoda.

Exarſit ſcilicet ad rei indignitatem Eugenius Pontifex, cognitâque diligentiùs causâ, horrendo anathemate ictum à præfecturâ dimovit. Sed adhuc miſer in favorem victæ, jugulatæque cauſæ argumenta cumulabat. Tametſi verò diù, multùmque reluctatus, excedere tandem coactus eſt, imparque dolori, impatienſque melioris conſilii miſerè diſperiit. Verùm quò latiùs Septimiana monaſtica laus ſeſe diffuderat; eò longiùs corruptelæ fama poſteà divagata eſt: itàut unius hominis caſus, illuſtriores illius temporis ſcriptores adeò fefellerit, ut corrupti Ciſtercienſis Ordinis aculeatis verbis meminerint in commentariis. Et S. Antoninus quidem in 2. parte hiſtoriali, titulo XVI. cap. I. §. 2. qui hoc ipſo ſeculo, quo Julianus lapſus eſt, ſcripſit; Ciſtercienſes affirmat, à B. Bernardi obitu vix ſeculum integrum ſinceros, incontaminatoſque exceſſiſſe: ex eo, à Patrum veſtigiis declinaſſe, & ad unum inutiles fuiſſe factos.

Deploranda mors Juliani Lapini Abbatis Septimiani.

Sanè hâc unâ Septimi ſiniſtrâ famâ haud ambigo, ſan-

ſanctiſſimum Præſulem ſcripſiſſe; tametſi univerſum Ordinem notaſſe, non perindè æquo animo tulerit Caſſanæus in 4. parte Catalogi gloriæ Mundi LVIII. conſideratione. Qui ex eodem D. Antonino commemoratâ neſcio quâ Septimi reformatione ſub IIII. Eugenio, è veſtigio intulit. *Si benè conſideremus, illud fuit tantùm in Italiâ, quia ſemper apud nos Ciſtercienſes, & in Galliâ fuerunt decorati ſcientiâ, & ſanctitate; & tales apud nos reputantur.* Hactenùs Caſſanæus. Cui me libenter adjungo, dummodò, & ipſe meminerit, quod ad Septimum, lapſumque Juliani attinet, ſordes illas ità hæſiſſe in capite, ut non deſcenderint in barbam, neque à barbâ in oram veſtimenti; hoc eſt, haudquaquàm ſcelere Juliani ceteros Septimianos Monachos fuiſſe infectos. Interim, ut Sancto Epiſcopo reſpondeamus, qui ab anno MCCLIII. à Patrum veſtigiis deſciviſſe Ciſtercienſes contendit, ſciendum eſt, apud pleroſque pro indubitato haberi, & ità re verâ eſſe, in Ciſtercienſi ſcilicet Ordine, ſi universè ſpectetur, uſque ad hæc ferè noſtra tempora, non defuiſſe Sanctos, non homines doctos, non purpuratos Patres; tùm & eximiæ prudentiæ, ac moderationis incomparabilis Pontificem unum: non denique alios, qui Dei Eccleſiam ſcriptis, ac ſanctitate maximè illuſtrârunt; ut modò omittam quàmplurimas Virgines Regias, quæ claritatem generis vitæ innocentiâ cumulârunt: ut Reges ipſos provectæ ætatis Monachos factos ſilentio involvam, ut non paucos martyrii laureâ decoratos prætercam, ut denique taceam graviſſimos Cardinales, qui ſuis conſiliis, trepidiſque legationibus Chriſtiano Orbi ſtabilem pacem peperêre: illud unum non poſſum ſupprimere, Eugenium ipſum Pontificem, cui Ordinis cujuslibet ſtatum exploratum eſſe oportebat, ac ſub quo Julianus lapſus fuerat, eodem ipſo tempore, quo in nos ſtrinxerat ſtylum Antoninus, cur eumdem Ordinem tantòpere exornaret, eas attuliſſe cau-

Æquiſſima, veriſſimaque Ciſtercienſis Ordinis commendatio.

Eugenius IIII. an. 1437. Kal. Novemb. Pont. An. 7. Emanuel Rodericus Comp.Privil. T.1.

causas, quòd præ ceteris Ordinibus copiosiores in Ecclesiâ Dei fructus afferre perspiceretur. Adeò non inutiles ad eam diem Cistercienses evaserant, ut ceteris Ordinibus à Summis Pontificibus præferrentur. At si Italos Cistercienses, præcipuéque Septimianos revocemus ad calculos, adeò non inutiles reperiemus, ut, & antè Julianum, & post ejusdem lapsum, trepidiora in Republicâ Florentinâ moderarentur munera; ceterorumque Monachorum à Summis Pontificibus evocati lapsos castigaverint mores: tibique, ò sanctissima anima! non usque eò viluisse videmur, cùm excedens è corpore, abiensque ad superos, nostrorum uni, eique, qui postremæ sortis esset, te perspicuè videndam præbueris, ut statim narrabimus. Si verò ideò inutiles nos Antoninus appellat, quod nunquam, vel serò ad suggestum, ad cathedram venimus; utroque pollice sanè subscribimus Sancto: sed tamen in eò non usque adeò à Patrum vestigiis abiisse videmur, quorum est illud solemne monitum; *Monachi officium est, lugere, non docere*. Numini interim ingentes gratiæ sint, quod inter nos non desint adhùc, nec deinceps, Deo benè juvante, sint defuturi, qui cum omnia fecerint, quæ eis præcepta sunt, non modò æquo animo se inutiles vocari patiantur, sed ipsi ex humilitate, atque adeò ex corde dicant: *Servi inutiles sumus*. Quid autem elapsis temporibus Cisterciensis Ordo jacturæ fecerit; quâ verò viâ, quâ vi, ea, quæ modò deflemus, acceperit detrimenta, sequentis libri initium breviter enarrabit.

Monachi officium est, lugere, non docere.

FINIS LIBRI TERTII.

NI-



NICOLAI BACCETII
FLORENTINI
Ex Ordine Ciſtercienſi Abbatis
SEPTIMIANÆ HISTORIÆ
LIBER IV.



LIQUA ergo ex parte corruiſſe Ciſtercienſem Ordinem candidè fatemur, corruptelam autem illam morum, quam ipſi quidam appinxiſſe videntur, omninò non admittimùs. Nec liquidiùs, hoc ipſum quod dicimus conſtabit, quàm ſi jacturæ ipſius cauſas, quas vel tempus invexit, vel pro decore Eccleſiæ infractus ubique, & ſemper, Ordo ultrò adivit, proferamus. Ac primò crediderim, Ciſtercienſem Ordinem nimiâ ſuâ felicitate laboraviſſe: alienæque patuiſſe injuriæ, è diſſitâ illâ vivendi ratione, antequàm ſcilicet, opulenta Cœnobia, per Congregationes, ut vocant, coiiſſent in cœtùs; disjunctaque unam Gallicanam originem, ejuſ-

Cauſæ nœvorum, quibus præclara Ordinis Ciſtercienſis facies inſperſa eſt.

ejusdemque arbitrium, legesque vel rarò latas, vel parùm tempori, ac moribus accommodatas, ambitiosè spectarent.

Bella item, quibus ingruentibus, Ordo Cisterciensis natus, adultus, & provectus est, non minima fuere causa, cur tot amiserit, deserueritque Cœnobia: gravesque pro Ecclesiâ cum Principibus viris susceptæ contentiones, eidem florem opum ademerint, inque mediis schismatum flammis haud minorem jacturam fecerit; quippe cui nullus tutior locus videretur esse, quàm ubi veri latuissent Pontifices, idest, quàm unius Galliæ fidelissimi Regni fines: intrà quos è cetero Orbe iniquis Imperatorum armis, minisque excedere jussi, haud semel magnâ fortunarum jacturâ compulsi sunt.

Sed & hæresum flammis aliquâ ex parte consumtus est, atque confectus. Exstant ejus rei non obscura vestigia in Angliâ, Bohemiâ, Germaniâ, aliisque nobilissimis Provinciis, quas teterrima illa lues infecit. Cum enim novi Evangelii propagatores, idest, pestiferæ sectæ nefarii administri, novam lucem cœlitùs haustam se populo mentirentur afferre; ne suo quæstu impietas careret, ad fluxa, terrenaque, callidâ conversione dilapsi, amplissimos Monasteriorum census, eversis templis, claustrisque deletis, rapacissimè diripuerunt. Namque per hæc eadem ipsa tempora (quò eorum, quæ dicimus, minùs fluxa jam fides sit) quibus ex Juliani lapsu fœda Septimo inspersa macula est, scilicet annò MCCCCXVIIII. Hussitæ, teterrimum Hæreticorum genus, impetu facto, totius Bohemiæ celeberrima duo Cisterciensis Ordinis Monasteria, Novæcellæ, videlicet, ac Grumhaim exciderunt; comprehensosque Monachos ad unum omnes crudelissimè trucidârunt. Nec multò post, idest ejus seculi ann. XXI. ipso die Christianis omnibus Spiritus Sancti adventu maximè celebri, iidem Hussitæ, veræ pietatis osores, successibus exultantes Sedelitz, Bohemiæ item illustre Cisterciense

Cœ-

Cœnobium, funditùs delevere, cujus, qui ad Spiritui Sancto faciendum convenerant Monachi, involuti ruinis, solemniùs, lætiúsque eidem Numini facturi evolârunt in cœlum. Nec Aulæ Regiæ nostri instituti, itèm in Bohemia, planè Regio Cœnobio, iidem æquiores fuerunt, quod anno MCCCCXXIX. tantâ crudelitate depopulati sunt, ut Monachos è procerâ arbore suspensos jusserint interire. Mirabile dictu: ex eo, arbori novus vigor, ac viror accessit, hactenùs celebri admiratione mortalium, quòd ii, ex quibus fortissimi Martyres pependêre, rami, facto à ceteris quodam quasi divortio, priorique ejuratâ naturâ, tanquàm veræ pietati fidem facturi, frondes deinceps explicârunt ejusmodi, quæ monachalis caputii æmulentur figuram. His, & similibus casibus, non in Bohemiâ modò, sed & in ceteris Regnis, in quibus liberior Hæreticorum debacchatus est furor, Cisterciensis Ordo propemodùm deletus est.. Adeò per ea tempora non inutiles Cistercienses fuêre, ut etiam cum innocentiâ morum parem animi magnitudinem attulerint ad martyrium.

Nec minor gloriæ fama, paulò ante, quàm quæ suprà retulimus, scriberet Antoninus, Italorum Cisterciensium per ora mortalium volitabat. Hi cùm in Adriatico mari, in unâ ex iis Insulis, quam S. Mariæ nomine insignitam, Tremiti, hodiè vulgus appellat, (omnes autem olim Diomedeæ fuerunt) ad propitiandum Numen per integrum seculum insedissent: demùm egressi ex Epidauro Latrones, qui circumvicina maria infesta habebant, in divinis laudibus celebrandis occupatos, quæcunque occurrissent direptis, crudelissimè interemerunt. Divinâ interim in Prædones, non benè se vertente anno itâ desæviente vindictâ, ut nec eorum posteris ad multos annos pepercerit. Cistercienses autem ex insperatâ clade consternati, tametsi rogati sæpiùs, invitatique benigniùs, nun-

Cistercienses plurimi in divinis laudibus celebrandis occupati à Prædonibus maritimis dirissimè trucidantur.

Divina vindicta in sacrilegos Prædones exardescit.

nunquàm tamen adduci potuerunt, ut illùc ſuorum quiſquam reverteretur, ut jam hinc impietatis, crudelitatiſque ingentia quidem; celeberrimi autem Ordinis vix tenuia in illis Provinciis colligere veſtigia poſſis.

Ipſa etiam Monaſteriorum conſtructio, quæ ut plurimùm extrà Urbes, deſertas, atque inſalubres occupaverat valles, haud parùm Ciſtercienſi Ordini offeciſſe videtur. Ut enim ipſa per ſe ſeverior diſciplina languidam, timidamque mortalitatem deterret; tùm ſi ſqualens, inſalubriſque ſolitudo, accedat, adeò formidabilis evadit, ut ipſius nomen, vel ipsâ memoriâ peracerbum, homines reformident, & horreant. Priſcis autem Ciſtercienſibus ita prorsùs conſtitutum erat, ut ſolitariis, proculque ab omni frequentiâ Monaſteriis uterentur, & inſalubriora libenter incolerent. Sederat enim illis, Monaſterium damnatorum carceri non abſimile eſſe debere, ad quod ubi quiſque veniſſet, ea, quæ deliquiſſet in ſeculo, pro viribus ulciſceretur. Itaque contraxiſſe languorem, diutino morbo laboraſſe, pedibus, aliiſque membris captum fuiſſe, ſummo beneficii loco ponebant. Siquidem adverſa quæque tanquam illuſtriorem filiorum Dei teſſeram agnoſcebant, quos ille ad beatitudinis ſtabilem hæreditatem corrigit, & caſtigat. Hujuſmodi tolerantiæ ſtudium in ſuis, exemplo, verboque mirificè promovebat Bernardus; cujus exſtat epiſtola illa ad Monachos Trium Fontium, quâ miſeros, variiſque morbis tentatos, paternè ſolatur; dehortaturque, ne ſe Medicorum curationi tradant ſanandos, quibus una divina ops antiquiſſima eſſe debet: *Scio*, inquiens, *quod regionem habitatis ſatis infirmam*, *ſed vobis clamandum eſt*, *ſana me*, *Domine*, *&* *ſanabor*; *ſalvum me fac*, *&* *ſalvus ero*, *quoniam laus mea tu es*. Quæ quidem effæta jam, ac propemodùm ſeneſcens natura, vix audire ſuſtineat, nedum ſufferre libenter. Eam ergo ob rem, Monachis, novâque ſobole, innumera Ciſter-

Antiqui Ciſtercienſes locorum inſalubrium, & deſertorum cultores.

Sanctiſſimi Patris Bernardi verba exima ad infirmos Monaſterii Trium Fontium Fratres.

ſtercienſia Cœnobia exhauriri ſunt cœpta; eorumque cenſus, quà profanis uſibus, quà piis attribui. Fatemur itaque hâc ratione, aliquâ ex parte concidiſſe Ciſtercienſem Ordinem, ac deſuetudine ipsâ conſenuiſſe.

Nec jam ſpontè nutanti, impellendo minimùm valuit falſa vulgi opinio, quæ haud ſalutares Eccleſiæ eos homines putat, quorum nullis vocibus ſuggeſtum perſtrepat, nulloque nixu Cathedra ſeverior intorta rationum jacula vibret; & quorum nil ferè plauſibile appareat, quod vulgi oculos aliquâ cum voluptate, & commodo capiat. Ego, ut ſemper, cùm proborum communi conſenſu ſuſcipiendos duxi, qui hæc actuoſæ vitæ, ut vocant, egregiè munia præſtant; atque ut divinos homines ubique, & ſemper ſum admiratus, præcipuè ſi actuoſæ laudem cum contemplatrice conjungant, quòd eâ ratione ad majorem Dei gloriam ambidextros ſe probent; quod utrâque acie, facti terribiles, pugnent: quòd denique ancipiti gladio ſuccincti ſint propter timores nocturnos: haud tamen illorum perindè ſenſum probare poſſum, quibus, uni contemplatrici intenti, ac diditi, ut inerti otio elumbes, languidi, inutiles, effeminati, ad ſua denique projecti commoda, ſordent. Hi enim dum ita ſentiunt, planè ſe ignorare fatentur, quanti ſit à ceterâ turbâ ſemotos inſtantiâ precum pulſare cœlum, intimis clamoribus judicem compellare; dum vincat Iſrael, protenſas habere manus; ſoloque buccinæ cantu Hyerico proſternere mœnia: Debhoram denique pugnantem comitari Barachum. Priſcos, ac Sanctos Patres veridicos teſtes habeo, qui cùm in religioſi ſtatus effunduntur præconia; ita rem omnem tractant, ut unam hanc contemplatricis vitæ partem exornare velle videantur. Conſulat illos, qui volet, & intelliget me vera narrare. Invaluit interim apud pleroſque non conſultiſſimos vulgi opinio, ut tantùm ii ſalutares Eccleſiæ haberentur, qui ceteris tu-

Maximam merentur laudem, qui actuoſam cum contemplatrici vitâ conjungunt.

R 2 mul-

multuariâ illâ ope, præſidio eſſent, & commodo. In eo tempori parco. Pleriſque enim juvari dulce eſt, & videri, digitoque notari jucundum. Amat enim & publicum probitas, ſuaque præmia poſcit, geſtitque laudari. Quid? Quòd plerunque:

Juv. ſat. x.

Major famæ ſitis eſt, quàm virtutis?

Quarè nil mirum, Ciſtercienſem Ordinem infrequentem evaſiſſe hoc tempore, qui illam abditam, hoc eſt, contemplantem vitam abhorrentem à publico, præcipuè ſit amplexatus.

Ruinam hanc, meâ quidem ſententiâ, funeſtiſſimè cumulârunt Monaſteriorum Commendatarii, ut vocant, quos ut non videar modò, ex domeſtico dolore injuſtis velle onerare querelis; ipſiſſimos Pii V. ſanctiſſimi Pontificis minori cum invidiâ retulero queſtus, cùm patentibus datis literis ad Lateranenſis Concilii præſcriptum conaretur Commendatarios revocare. *Ex innumeris*, inquit, *curis, quibus ſine intermiſſione vexamur, illa nobis duriſſima eſt, quod tot ſacrarum Religionum Conventus ſuis orbati juribus, paſſim intercidere conſpiciuntur: neque ſanè quicquam inexpertum relinquimus, quantum quidem fert difficillima præſentis ſeculi conditio, quod ad illorum reſtitutionem pertinere exiſtimamus. Inter ceteros autem Ordo Ciſtercienſis longè, latèque per Orbem propagatus Nobis frequentiùs obverſatur; cujus tàm multa Cœnobia viris tum doctrinis, tum ſanctitate claris olim florentiſſima, maligno temporum errore, ad nihilum propemodùm rediguntur: quod cùm aliundè ex toto Orbe plus ſatis Nobis jampridem innotuit, tùm maximè ex recenti viſitatione, quam Commiſſarius, & Procurator Capituli Generalis Ciſtercienſis in utrâque Siciliâ, id Nobis quoque jubentibus, confecit; permoleſtè intelligimus, quamplurima hujus Regni Monaſteria, aut debitis officiis deſtituta, aut Monachis ob non præſtitam alimoniam*

Calamitoſâ Ordinis Ciſtercienſis conditione, S. Pius Pontifex Maximus ſummoperè movetur.

niam

niam deserta, aut omninò collapsa, retecta, reclusa, patentia, & ut profana habita, quæ Religionis cultrix illa vetustas tantis stipendiis evexit. Hæc pauca ex Pontificiis literis satis sit adscripsisse; ut indè lector conjectet, sub ejusmodi miseriarum mole, Cistercicnsem Ordinem facilè fuisse concidere. Quæ utique oportuit advertisse Scriptores, ne vecordiæ, desertique officii nos inauditos damnarent.

Ceterum quoniam per idem tempus ferè, quo noster Julianus lapsus est, è Populeto, etiam nostri Instituti celeberrimo Cœnobio, Petrum Marginet nobilem Monachum, juvenilis abstulit error; haud me modò tædebit, hujus à Juliani longè disparem exitum paucis referre, ut hinc divinæ justitiæ severitatem perhorrescamus, illinc illius clementiæ bonitatem exosculemur; discantque Monachi haud satis murorum custodiæ fidere, nisi etiam vocationem illam suam assiduis, improbisque ad virtutem laboribus juvent. Petrus itaque amænus juvenis, levi impetu (qualis sæpè adolescentum est,) primùm in claustrum rapitur; atque ex quâdam inconsultâ; teneráque imagine, quam de virtutis præmiis fortè conceperat, ad disciplinam accessit monasticam. Sed ut librata fundis saxa, primùm quidem in eo studio immodicè fervere cœpit: mox, cessante machinâ, miratus est, se languere. Et languorem quidem excepit tædium, tædioque successit curiosa cessatio; quæ item haud reluctantem compulit ad fugam. Sacrâ ergo claustri semel ille custodiâ liber, celebriora oppida circuire effrenis, ganeonibus immisceri; amatoriæ indulgere vesaniæ; pudici thalami jura tentare, frequentissimè jurgia serere, inconsultiùs prolata verba prompto, paratoque pugione ulscisci, prodigere propria, aliena furacissimè consectari: demùm is penè repentino lapsu effectus est, qui multiplici scelere plenissimam faceret fidem, nullum æquè nefarium, ac perditum hominum

Petri Marginet nobilis Monachi Monasterii Populeti lapsus planè stupendus.

Nullum æquè nefarium, ac perditum hominum genus est, ac eorum, qui semel à religioso statu desciverint.

multuariâ illâ ope, præsidio essent, & commodo. In eo tempori parco. Plerisque enim juvari dulce est, & videri, digitoque notari jucundum. Amat enim & publicum probitas, suaque præmia poscit, gestitque laudari. Quid? Quòd plerunque:

Juv. sat. x.

Major famæ sitis est, quàm virtutis?

Quarè nil mirum, Cisterciensem Ordinem infrequentem evasisse hoc tempore, qui illam abditam, hoc est, contemplantem vitam abhorrentem à publico, præcipuè sit amplexatus.

Ruinam hanc, meâ quidem sententiâ, funestissimè cumulârunt Monasteriorum Commendatarii, ut vocant, quos ut non videar modò, ex domestico dolore injustis velle onerare querelis; ipsissimos Pii V. sanctissimi Pontificis minori cum invidiâ retulero questus, cùm patentibus datis literis ad Lateranensis Concilii præscriptum conaretur Commendatarios revocare. *Ex innumeris*, inquit, *curis, quibus sine intermissione vexamur, illa nobis durissima est, quod tot sacrarum Religionum Conventus suis orbati juribus, passim intercidere conspiciuntur: neque sanè quicquam inexpertum relinquimus, quantum quidem fert difficillima præsentis seculi conditio, quod ad illorum restitutionem pertinere existimamus. Inter ceteros autem Ordo Cisterciensis longè, latèque per Orbem propagatus Nobis frequentiùs obversatur; cujus tàm multa Cœnobia viris tum doctrinis, tum sanctitate claris olim florentissima, maligno temporum errore, ad nihilum propemodùm rediguntur: quod cùm aliundè ex toto Orbe plus satis Nobis jampridem innotuit, tùm maximè ex recenti visitatione, quam Commissarius, & Procurator Capituli Generalis Cisterciensis in utrâque Siciliâ, id Nobis quoque jubentibus, confecit; permolestè intelligimus, quamplurima hujus Regni Monasteria, aut debitis officiis destituta, aut Monachis ob non præstitam alimoniam*

Calamitosâ Ordinis Cisterciensis conditione, S. Pius Pontifex Maximus summoperè movetur.

niam

niam deserta, aut omninò collapsa, retecta, reclusa, patentia, & ut profana habita, quæ Religionis cultrix illa vetustas tantis stipendiis evexit. Hæc pauca ex Pontificiis literis satis sit adscripsisse; ut indè lector conjectet, sub ejusmodi miseriarum mole, Cisterciensem Ordinem facilè fuisse concidere. Quæ utique oportuit advertisse Scriptores, ne vecordiæ, desertique officii nos inauditos damnarent.

Ceterum quoniam per idem tempus ferè, quo noster Julianus lapsus est, è Populeto, etiam nostri Instituti celeberrimo Cœnobio, Petrum Marginet nobilem Monachum, juvenilis abstulit error; haud me modò tædebit, hujus à Juliani longè disparem exitum paucis referre, ut hinc divinæ justitiæ severitatem perhorrescamus, illinc illius clementiæ bonitatem exosculemur; discantque Monachi haud satis murorum custodiæ fidere, nisi etiam vocationem illam suam assiduis, improbisque ad virtutem laboribus juvent. Petrus itaque amænus juvenis, levi impetu (qualis sæpè adolescentum est,) primùm in claustrum rapitur; atque ex quâdam inconsultâ, teneráque imagine, quam de virtutis præmiis fortè conceperat, ad disciplinam accessit monasticam. Sed ut librata fundis saxa, primùm quidem in eo studio immodicè fervere cœpit: mox, cessante machinâ, miratus est, se languere. Et languorem quidem excepit tædium, tædioque successit curiosa cessatio; quæ item haud reluctantem compulit ad fugam. Sacrâ ergo claustri semel ille custodiâ liber, celebriora oppida circuire effrenis, ganeonibus immisceri; amatoriæ indulgere vesaniæ; pudici thalami jura tentare, frequentissimè jurgia serere, inconsultiùs prolata verba promto, paratoque pugione ulscisci, prodigere propria, aliena furacissimè consectari: demùm is penè repentino lapsu effectus est, qui multiplici scelere plenissimam faceret fidem, nullum æquè nefarium, ac perditum hominum

Petri Marginet nobilis Monachi Monasterii Populeti lapsus planè stupendus.

Nullum æquè nefarium, ac perditum hominum genus est, ac eorum, qui semel à religioso statu defecerint.

num

num genus esse, ac eorum, qui semel à religioso statu desciverint. Denique vis in scelerosâ vitâ audire progressum? Grassatoribus ducem se præbuit: indè cetera conjice. Sed aliquando tandem inevitabilem iram Numinis cogitatione complexus, quam cœlitùs uberior oborta lux, tenebricosæ menti ingerebat subindè: seipsum respexit, ac non sine sui pertimescendo sanè horrore resipuit; iterùmque claustro inclusus, eam suis vesanis factis, inauditisque sceleribus multam indixit, quæ omnibus admirationi potiùs esset, quàm quæ à mortali ferri posse videretur. Nec sic tamen divino amore, suique odio exæstuans mens quiescebat. Ubi enim dudùm patrata scelera, divinaque calentia adhuc beneficia ægram ex dolore recurrissent ad mentem; ex utrorumque contentione, quasi subjectis facibus ita æstuabat, seu furebat veriùs, ut vix seipsum capiens, è claustro ejulans, pectusque plangens, nudis pedibus, intonso, apertoque capite, luridâ facie, incultâque barbâ prodiret: nullumque celebrius, in quo aliquod admisisset scelus, oppidum præteribat, cujus in oculis (advocatâ prius per præconem confertissimâ concione, proclamatisque ad singulos verberum ictus, sceleribus, nomineque fatentis rei) dirissima non subiret flagella. Quam acerbitatibus plenam diù cum exegisset vitam; longo tandem coronatus martyrio, victor sui, mundi contemptor; Deo charus, cœlitibus omnibus exspectatus evolavit ad præmia.

Petrus Marginet ad saniorem frugem se recipit.

Intereà ex Juliani casu Septimiani Monachi, tanquàm aliquo fatali torpore omnes inhòrruissent, id unum trepidi, suspensique spectabant, quem, scilicèt, distracto, miseroque Cœnobio justa Pontificis ira præfectum destinaret. Sed Eugenius, (ut lenissimum, communemque parentem decebat) ubi primùm ecclesiastico telo perculsum præfecturâ jusserat abire Julianum; Dominico Capranicæ Cardinali Firmano Septimianam rem totam com-

Eugenius IV. Monasterium Septimianum commendat Dominico Cardinali Capranicæ, cujus præclaræ dotes recensentur.

commendat. Is ille Capranica est, quem nullæ unquàm tàm ingratæ literæ silebunt: siquidem ex virtute purpuram consequutus, id totum quod erat, adeò Ecclesiæ usibus, alienæque sublevandæ addixit inopiæ, ut ex Apostoli sententiâ factus omnia omnibus videretur. In eo ardens Religionis zelus, literarum amor præcipuus, munificentia verò tam profusa; ut ex amplo patrimonio, opulentoque sacerdotio nil propemodùm in vitâ attigerit, præter unam plenam anxietatis, & solicitudinis procurationem, quo rectiùs, quicquid illud erat, in egentes, calamitososque distribueretur. Hic igitur cum Septimianos sibi commendatos haud ægrè tulisset; nactus occasionem Florentiam proficiscendi (quò, Ferrariâ, ubi primùm coiverat, grassante posteà pestiferâ lue, generale Concilium tranferri placuerat) ad Septimianos, ubi eò pervenit, consultò divertens, propiùs inspicit vulnera, cognoscit causas, solatur mœstos, depositos bono animo esse jubet, simulque secum ipse miratur, ad tàm nefanda profligatissimi homini scelera Monachorum tandiù durare patientiam potuisse. Dumque altissimo medendo vulneri consilium explicat, menteque revolvit, cui potissimùm Monachorum tantum onus demandet, trepido succurrebat in tantam rem satis vitii allaturum illum, qui præteritum pessimum exemplum vel oculis ipsis usurpasset. Ergo Septimianorum nullum seligere placebat. Dùm igitur æstuat Capranica, itaque in omnem partem se versat, ut collapsam Septimi disciplinam pro dignitate rei per aliquem egregium ducem, ac præceptorem restituat, deleatque fœdissimi lapsus nuper acceptam maculam: opportunè monetur, degere in D. Mariæ Cassinensis instituti Florentino Cœnobio insignis virtutis Monachos duos, quos Gregorii Tuccii, ac Bartholomæi Perii olim Cisterciensium ad omnem pietatem severior excoluerat disciplina; lætusque ad nuncium: benè habet, inquit Firmanus,
quòd

quòd Caſſinenſes lac pietatis ipſum, quod è Ciſtercienſibus pridem abundè ſuxerunt, in arentes modò, ſiccoſque, viciſſim, opportunéque refundent. Hinc rei gerendæ omnem captare occaſionem; Pontificem conſulere; arceſſere, orareque quos admovere operi ſibi animi erat; pulcherrimum facinus honorificis verbis extollere; proventus denique ſpem certam oſtendere. Quibus aliquando tandem artibus effecit, ut Timotheus, atque Antonius Caſſinenſes uſu rerum roboratæ virtutis viri, Ciſtercienſem Monachum induerent, ac Septimianis parente, duceque orbatis ſe ſe rariſſimum continentiæ exemplum præberent. Quorum cùm alterum deſtinaſſet in Abbatem, ne interim luculenta Septimianis fieri videretur injuria; ſi non ſecùs, ac Julianus, lapſi, alienum imperium accipere cogerentur; eo nomine extollebat viros, tanquam qui ejuſdem cum illis regulæ præcepta apprimè callerent; quique nullis peregrinis inficerentur moribus: qui ſuorum in virtute progreſſuum parentes, ac inſtitutores Ciſtercienſes agnoſcerent: qui ab opulentiſſimi Cœnobii commodis, ad incommoda Septimi, atque eo tempore cùm anguſtiſſimâ re familiari luctantis, non niſi evocati tranſirent. Tùm ſuadebat, tametſi illa abeſſent, illud eſſe tempori dandum, ſiniſtræ famæ, denique Summi Pontificis arbitrio, atque adeò ſecundùm Pontificem, eorum autoritati in quorum fide, ac poteſtate deinceps eſſent futuri: neque futuras virtutum progreſſiones prætermiſit, quas ex hujuſmodi virorum regimine dimanare oportebat; cum præſertim tales accederent, qui magis quàm verbo aliis, ſpiranti vellent præire exemplo: addebatque, abſque dubio illos aliorum commodis victuros, qui ob id ipſum contemſiſſent, & propria: ac proindè ſtuderent impenſiùs, magis amari, quàm timeri.

Hæc cùm tumultuariò, ac graviter ad omnia ſpontè paratis ſemel ingeſſiſſet Firmanus; ex Pontificis placito

Timotheus primùm Callinensis, tùm Cisterciensis Monachus à Cardinali Dominico Capranica ex Summi Pontificis placito in Abbatem Septimianum eligitur.

cito ſtatim omnium ingenti gaudio Timotheum olim Benedictinum, tunc verò Ciſtercienſem, Septimi Abbatem creat. Vir prædicatione omnium, locis, temporibuſque percommodus. In paupertate ſecurus, ac fidens erat: in opulentiâ verò haud diſſolutus: prudens in iis, quæ ordiretur, ſed minùs anxius: ita accuratus, ut ſine curis eſſet: circumſpectus ubique, nullibi autem, aut ulli moleſtus, aut gravis. Quod ſuarum partium erat, ità agebat, ut aliud omninò agere videretur: ſe ità ſibi per intervalla reddere erat ſolitus, ut haud ſuos deſereret: omnibus idem erat, ſed ex prudentiâ à ſeipſo opportunè factus diverſus, non iiſdem muneribus omnes impertiebat: ex meritis homines, non autem ex hominibus penſabat merita: idem comis, ac gravis: facilis, ac ſeverus: ſubtriſtis, ac lætus; inque nullam partem declivis, omnibus omnia fieri percupiebat.

Itaque cum iis artibus ſeipſum moderaretur, ceterorum tractaret animos, excoleret mores, ſuorum in cultu pietatis ſtudia ſuccenderet, virtutes proveheret: effecit tandem, ut maculâ ambigui rumoris deterſâ, in priſtinum ſanctimoniæ decus, & quidem majori cum gloriâ Hetruſci Ciſtercienſes aſſererentur. Duo tamen adhùc ægrè concoquebat Timotheus, quæ vicina caſui, haud decora ſuis olim augurabatur futura; Septimi videlicet adminiſtrorum frequentiorem ad civitatem acceſſum, quos implicitæ lites, profano veriùs, quàm religioſo diverſorio, illùc pernoctaturos excipiendos trahebant: tùm & Ciſtelli Monialium cujuſque injuriæ pervium, opportunumque pudorem. Locus is eſt, ut ſuprà meminimus, ad Pinctiam Florentiæ Civitatis Portam, quæ in ſubjectam Feſulis lætam planiciem ducit: latus, amœnus, cujuſque laxitatem ipſi præalti Civitatis muri definiant. Illùc S. Donati Moniales, nobiles feminæ immigraverant. Sed ſacro Gynæceo nulli ad eam diem ſatis præalti circundati

muri erant. Itaque & muliebris ſexus levis, ac loquax, munuſculiſque dandis, accipiendiſque apprimè deditus: tùm infrequentia loci: quodque rei caput eſt, Virginum rariſſimus cœtus, dubiis ferendis ſermonibus curioſæ Civitati amplam materiem dederat. Angebatur proinde Timotheus, juſtoque impellente dolore, imminenti utrique periculo obviam ire conſtituit. Detulit ergo rem omnem Eugenio Pontifici, qui bonitatem cauſæ paternè complexus, luculento edito diplomate, & Moniales è parum tuto Ciſtello in Sancti Donati Ciſterclenſe item virginale Cœnobium extrà muros Florentiæ, (cui in tenuiſſimum pulverem fatiſcens ſolum Pulveroſi hactenùs nomen fecit) primo quoque tempore demigrare præcepit; Septimique adminiſtris pro ſacro hoſpitio eſſe voluit. Crevit ſucceſſu temporis in illuſtre Cœnobium, itaut jam totius Florentiæ nulli, ſi proprius, ampliorque cenſus ſufficeret, concedere videatur. Modò verò cum è divite Septimi penu,ſive quæ ad cultum, ſive quæ ad victum ſunt, omnia mutuari cogatur, hujuſmodi quaſi capite cenſum monaſterium, pulchram indotatam puellam antiqui noſtri dixere; cui ad dignitatem tuendam aniculæ matris, hoc eſt, ſeneſcentis Septimi amplior, ditiorque cenſus fuerit opus.

Eugenius IV piis Timothei Abbatis Septimiani motus precibus, Ciſtelli Moniales è Ciſtello in Cœnobium Sancti Donati, quod pulveroſum vocant, variis de cauſis demigrare præcipit.

Ceterùm adaucti S. Donati cœtus brevi, & quidem ampliſſimus conſtitit fructus. Cùm enim ex eo tempore in celebri Monaſterio cum ſanctimoniæ laude ſemper virginitas floruerit; tùm verò maximè Pauli IIII. temporibus, ejus virtutum fragrantia totam fermè reſperſit Hetruriam. Itaut cum Hieronyma Urſina Farneſia Caſtri, Parmæ, Placentiæque Duciſſa inſignis pietatis femina, Viterbii ſub nomine Viſitationis Deiparæ Virginis, ad præſcriptum Regulæ D. Benedicti, Monaſterium liberalitate tantâ Principe dignâ vellet erigere, ex uno S. Donati Florentino, Ciſtercienſique Cœnobio ſacra Monialium

Hieronymæ Urſinæ Farneſiæ è Monaſterio Ciſtercienſi S. Donati ſacra Monialium colonia conceditur, ad Viterbienſe Cœnobium ſub nomine Viſitationis Deiparæ Virginis erigendum.

lium colonia deducta ſit, quæ nobilium illîc Virginum profitentium mores formaret.

Luctabatur intereà cùm anguſtâ re familiari novus Abbas Timotheus, adfuitque ægrè luctanti regia planè Capranicæ liberalitas. Is enim ingenti pecuniæ vi ſolutâ, quæ Juliani ſcelere, luxuque Septimo diſperierant, tandem redemit, magnoque cum fœnore recuperanda curavit. Quin Septimianum Abbatem honorario jure adauxit, ut ex Hetruſcis unum, qui in Capranico Romano Collegio à ſe erecto literis, artibuſque excoleretur, quemcunque voluiſſet, deſtinaret. Ejuſdemque munere Septimiano juri ſubſunt S. Bernardus Antellenſis, ac S. Georgius à Ruballe haud ignobilia ſacerdotia.

Cardinalis Capranicæ in Monaſterium Septimianum regia planè munificentia.

Hilarem porrò, ac munificum datorem Capranica ſe præbuit, qui cum alendis, ornandiſque Septimianis ampliſſima, quæ poſſederat, propemodum effudiſſet; feſtivè tamen, ac comiter in divexatum patrimonium ſuum ludebat, cùm diceret, tùm ſe demum Commendatarii perſonam egregiè ſuſtinuiſſe, cùm alienæ indigentiæ ſublevandæ gratiâ & ipſe cœpiſſet egere. Vir planè memorabilis, qui nec divitiarum opulentiâ diffluere, nec indigentiâ frangi potuit unquàm. Conſtat ejus nomini debere omnia Septimianos, qui tales ab eo relicti ſumus, quales pro dignitate rei vix ſatis ipſi miramur. Itáque tam generoſi Patroni Timotheus adjutus opibus, ornatus beneficiis, fultus conſilio, duriſsimas egeſtatis enavigavit cotes; atque ad ſeptem annos cùm præfuiſſet, è vivis ſublatus eſt, ingentis ſpei in Septimo relictâ ſobole, moribuſque ad priſtinam ſanctimoniæ laudem reſtitutis. Exſtant non modò apud Ciſtercienſes, ſed apud Caſsinenſium etiam non ignobilem quendam ſcriptorem, ejus viri immortalibus literis commendata præconia.

Ære, cedroque dignum Capranicæ Cardinalis dictum de Abbatibus Commendatariis.

Timotheus Abbas Septimianus moritur.

Quo vitâ functo; Antonio cura Septimi, nullo refragante, mandatur. Hujus nomen multis noſtrorum im-

In cujus locum ſuccedit Antonius.

posuit, ut putarent, hunc illum Antonium esse, qui Timothei collega nuper ad Cistercienses transierat. Sed nimirùm, & similitudine nominis, & pari sanctimoniæ laude delusi sunt. Namque is, quem modò damus, quemque Septimo præfecit concors suffragiorum coitio, decem & octo annis ante Casinensium adventum, relicto seculo, Cisterciense institutum amplexus erat: lumen claustri, & decus, ut fama est, qui gloriâ filiorum, qui sanctimoniâ vitæ, quique animi moderatione nulli secundus fuit. Memorat in historiis Antoninus Florentinorum Antistes (scribebat autem fermè eo ipso tempore, quo præfecturâ fungebatur Antonius) Septimi pusillum gregem, magnum fuisse factum. Ego si quid conjecturâ assequor, veraque sunt, quæ de gestis Antonii narrantur, hæc scilicet Antonini verba, non tàm ad numerum Monachorum, qui extrà Septimianos fines nondum gressum extulerant, quàm ad eorum lætissimos in virtute progressus libenter retulerim: quanquam nil etiam vetet, utrumque intelligi posse: cùm postea Pontificum missu ingentem aliorum Monachorum messem probè excoluerint. Ac ex domesticâ quidem animorum sub Antonio culturâ, unum Tuccium interim proferemus, qui conditione pastor, professione Conversus, in humillimo vitæ statu altissimum perfectionis gradum assequutus est. Is in Alpibus Stalis pecuario patre natus, intrà caulas gregum ineuntem ætatem exegit. Hunc mater, cum pareret, difficillimo nixu disperiit; charique pignoris in curam rusticus pater successit, ac pastorali in perâ tenellum gestabat puerum, flentique capellarum ubera admovebat. Dixisses eam, cujus insueverat lacti, materno planè affectu moveri, ita ejulanti puero balatibus adblandiebatur, protensisque retrò suffraginibus, patentium mammarum invitabat ad suctum. Ubi verò niti pedibus cœpit; sic hilarulus inter agnos, quasi inter æquales lusit: nisi quòd ple-

Mira de Antonio Tuccio Converso Septimiano memorantur.

plerunque attollens oculos, cœlesti spectaculo jucundissimè pascebatur; ad stuporem tùm verò, cùm se se intendentibus tenebris, quasi phrygio opere ditissimè interpunctum syderibus intermicaret. Pueriles autem annos egressus innoxiâ virgâ devio minabatur armento; septaque fidelissimè noctu circumiens nodoso fuste, & sibi cavebat, & prædabundos, siqui ex insidiis erupissent, lucifugos lupos arcebat. Ubi res tranquillior esset à feris, dispositis nihilominùs canum custodiis, ne securitate ipsâ langueret, ipse haud procul à grege, provolutus in genua, immotis, evibratisque oculis, contemplando cœlo hærebat. Nulla illi interdiù ad fallendum tempus, tædiumque levandum pastoritia fistula; nulla amatoriæ levitatis index ex silvestribus floribus pileolo assuta corolla, nulli profani cantus, qui sæpiùs repetiti per otium, castam primùm libare, mox sæviùs lancinare mentem solent. Ibi ille potiùs figebat ex arboribus affabrè factam crucem; vel acuminato lapillo, in lapide item, cui major lævitas esset, ejusdem lineabat figuram, ad cujus conspectum Christiani incensiùs admoneretur officii. Non latuit diù Pastoris juvenis pietas, atque ad meditanda, capiendaque divina, indoles unicè facta. Tuccium qui noverant, jam tùm augurabantur omnes, fore ut impetus ille divinus in magnæ fastigium sanctitatis evaderet, si accurati magistri accessissent præceptiones. Nec vana conjectura fuit. Siquidem hâc de re admonitus Septimianus Antonius, haud ægrè impetravit à patre, ut filium Monacho indutum sibi traderet in disciplinam. Ubi claustrum, annuente patre, lætus inivit Tuccius, ipsius loci admonitu, qui totus tranquillitate, silentioque constaret, in divinorum contemplationem se feliciùs penetrabat, itaut attonitis oculis, menteque à sensibus propemodùm alienatâ secum ipse mansurus hùc illúcque diverteret. Excutiebat tamen quandoque alumno hujusmodi divinum soporem providus

dus

dus magiſter omninò ſalubriter, ne ſcilicet mens ſine ſuo pondere longiùs,altiúſque,quàm par eſſet,evolaret; Apoſtoli memor, cui contemplanti gravia illa momenta addita erant *ſtimulus*, ſcilicet, *carnis*, *Angeluſque Sathanæ*, qui neſcio quarum ærumnarum graviſsimos infringeret colaphos. Itaque quotidianum penſum laboris, qui ejus ſtatus conditionem deceret,exigebat à Tuccio: tùm nudata penitùs animi ſenſa, ſui præterea deſpicientiam ſummam, ad contumelias denique, ad opprobria ſinceram, veramque lætitiam. Quibus coeuntibus, non dubitabat quin cetera felicem exitum eſſent habitura. Et quidem ità laboribus aſsiduis exercitus Tuccius eſt, ut nullus unquam mediaſtinus, jumentum nullum fuerit, quod majora onera tulerit. Par tamen, infractuſque erat ad omnia, quòd ejus mens haud exerraret à ſcopo, hoc eſt, ipſo Deo, in cujus gratiam omnia latiſſimè exſequebatur. Ita autem interdiù aliis ſubſerviendo ſubibat labores; in nocte iterùm ſuper ſe divina contemplando elevabatur, ut vitâ, & moribus illud expreſſiſſe Pſalmi videretur: *In die mandavit Dominus miſericordiam ſuam, & nocte canticum ejus*.

Seipſum porrò oculorum contuitu, totius habitu faciei; candidâ de ſe confeſſione non modò communi parenti prodebat; ſed etiam obvio cuique penitiſſima animi ſenſa nudare paratus erat. Nulla illi ad ſimulandum ſcena frontis, nulla à corde diſsidentia verba: totus ille ſimplicitate conſtabat, & eâ quidem, quæ ad priſcos ſanctiores mores propiùs videretur accedere: nullum ei unquam mendacium extorſit timor, confinxit jocus: nec ad probitatem ſimulandam, amore ſui ſeductus eſt. Ut liquidò quæ in perſpicuâ aquâ ſubſidunt contuemur; ſic, ut vidiſſes, ita & hominis ſimpliciſsimos conjeciſſes mores. Adeò verò ſeipſum non amavit, ut etiam plus juſto deſpexerit. Namque, quòd inter armenta pecorum alitus erat, ſe

se despici planè arbitrabatur, si sibi meliùs, ac jumento, à ceteris foret. Ridebatur; arridebat: urgebatur injuriis; gaudebat: scommata, dicteria, salesque in eum à male feriatis jactabantur insolenter; ea ipse non tàm refellebat, quàm in se jure contorta videbatur affirmare, cùm diceret, *stolida mihi lactenti pecora admoverunt ubera, & sapiam?* Jam ejus in nocte canticum, nunquam intermissæ preces erant, quas ut validiùs, quasi instructam aciem explicaret, Deoque quodammodo vim afferret, abditissimo utebatur secessu: quòd ita crederet, expertusque erat, eo adjumento mentem colligi citiùs, ceterarumque rerum imaginibus exclusis, divinum illapsum dulciùs hauriri.

Septimianorum templum ad latus sacellum habet Divo Bernardo sacrum, quo, perantiquo Cisterciensi ritu, à primarii templi finibus arcerentur mulieres. Hoc fornicatam subterraneam specum habet, quam, cùm per fenestram, vix è solo exstantem tenuem lucem admittat, ipsis perpetuò incubantibus tenebris, tum mortuorum ossibus, quæ illuc ingesta sparsa jacent, veluti sacram animus adeuntium horret. Hùc Numen propitiaturus aderat Tuccius frequentissimus. Ibi illacrymari, hærere immotus, mox furenti similis ululare, peccantium à se, tanquam à peracto reo, dirioribus flagellis repetere pœnas, modò stans, modò provolutus in genua, modò reductis in supplicum morem ad pectus brachiis, modò protensis, confertissimâ suspiriorum phalange impressionem facere cœlo, lacrymarumque tempestate elutâ, demùm serenus, lætitiis omnibus triumphare, sicque vario divini congressus eventu solidas noctes exigere. Ex quibus sanè improbis, piisque laboribus magna, ingentiaque retulisse illum, quæ vitæ puriori magno usui essent, nullus potest ambigere, nisi qui priùs ignoret, effusissimam Dei liberalitatem esse, nullisque unquam mortalium officiis superabi-

rabi-

rabilem. In iis autem, quibus à Deo ornatus beneficiis eſt, illud haud crediderim minimum, quòd hujuſmodi aliquando cœleſti viſo dignatus eſt, quod & alieni meriti præclarus judex eſſet, & ad illam nunquam deſituram beatitudinem perveniendi meditantis cupiditatem acueret, cujus divinior ſpecies ſingulari Dei munere mortalibus adhuc aſpectibus objiceretur.

Antonio Tuccio S. Antonini Archiepiſcopi Florentini anima ad Deum properans, cœleſti munere viſendam ſe exhibet.

Perſolvebat divinum penſum Tuccius aliquando pro foribus templi S. Mariæ Magdalenæ Ciſtelli Florentini Cœnobii, ac pedetentim obambulans, calentibus ſuſpiriis, obtutibuſque anhelabat ad cœlum: cùm ecce illi candidiſſimus ignis fulgere viſus eſt, qui mox diſtinctus in radios ſolemni pompâ, longoque ordine crevit in cœlum. Ut vidit, in ſubitas, variaſque cogitationes prolapſus eſt, eidemque mox Antoninus, Florentinorum Antiſtes ſanctiſſimus novum ingeſſit gaudium, admirationem ademit; quem triumphi medium cœlites coronati choreis incinxerant, atque ad conſtitutam pro meritis in cœlo ſedem lætiſſimè devehebant: Ut viri Sancti proſpero ſucceſſu; ut Sanctorum communi gratulatione, novo gaudio elatus Tuccius eſt! Ex eo lætior illi facies, labor jucundior, reditus ad Deum ſuavior.

Conſtitit autem viſo fides, quòd illâ ipsâ eâdem horâ, quâ Sanctus è vivis exceſſit, ſeſe contemplanti Tuccio obtulerit ſuſpiciendum. Sed non ſemel divinus favor ruſticanum hominem proſequutus eſt. Deiparæ icunculâ digitali longitudine Tuccius utebatur, cujus contuitu in exordiendis precibus animum primùm volebat incendi, ut imaginibus poſteà longè ſuperior, in Deo ſuaviùs, puriùſque conquieſceret. Hanc Majorum noſtrorum conſtans traditio eſt, ſimplici viro, innocentique fuiſſe locutam, ob idque poſt ejus obitum Religionis ergo ſpectabili Ciſtelliani templi loco collocatam; indéque certis, manifeſtiſque claruiſſe miraculis. In quibus illud, quod uni

Eximio beneficio à Deiparâ Virgine Antonius Tuccius decoratur.

unì nostrorum contigit, exstitit admirandum. Per funis ductum cœtui ad triclinium convocando, Monachus quidam de more Ordinis ex ære fusam, nec minimæ magnitudinis pulsabat campanam, quæ fornice hiscente, undè pendula exstabat, repentino, rectoque lapsu ità capiti pulsantis impacta est; ut cerebro finitimum cœlum altè offensum, omnium de ejus salute desperationem exciverit. Ille inter anxios eluctantis animi anhelitus memor Virginis, quam exprimebat icuncula, tacito, latentique affectu pro incolumitate suâ concipit votum; sensimque, quod violentus ictus attulerat, animi excussit deliquium: relatoque per charorum manus ad lectulum, ita celeriter coivit vulnus, absolutaque sanitas consequuta est, ut ejus quam imploraverat, Virginis citissimam affuisse opem constaret. Mitto cetera admiranda quæ ad eandem iconem Deipara Virgo patravit. Plures enim ex voto tabulas, quæ illîc miraculorum testes pendebant, peralbo sacelli parieti improvida manus detraxit. Unum subjiciam, cujus ad iconem adhuc ex voto tabula luculentus testis perspicitur. Ægrotaverat Florentiæ jam inde ab adolescentiâ Dominicus, Vincentii Brunacci, optimi Civis filius; (is, qui posteà factus Sacerdos, ac Prothonotarius Apostolicus, & S. Petri Majoris Antistes, divinum cultum summâ cum laude promovit) cùmque proximum esset, ut pestiferâ degrassante febri, tumoreque faucium strangulante, ex insperato periret; Margharetæ Guidiæ matris piæ feminæ suasu, propriáque pietate in Virginem, ejus opem implorat, repentè excutit morbum, tabulamque, quæ accepti beneficii referret memoriam, grati animi ergò suspendit. Sed jam ad institutam de Tuccio revertamur historiam.

Itidem Deiparæ beneficio cuidam Septimiano Monacho gravissimè decumbenti, pristina salus perfectissimè, & citissimè restituitur.

Hic igitùr cùm usque ad exactam ætatem, omnem vitæ partem ex unius Antonii nutu institutam haberet; adeò quæ in sanctioris vitæ cursu occurrunt adversa, nul-

lo negotio propulſabat: ut cum voluptate etiam, gratiarumque actione verſari in illis videretur. Qui enim ex alieno arbitrio toti dependent, vectorum more, in eum, qui ſedet ad clavum, omni jactatâ ſollicitudine, cantantes, curiſque vacui devehuntur ad portum. Etſi autem ſub vitæ finem, reflantibus tentationum ventis, ægrè ad optatum litus videretur poſſe accedere; enavigavit tamen feliciter. Cùm enim, graviſſimo, qui ei poſtremus fuit, ſæviente morbo, anxiam jam ageret animam; qui vitæ mortalium calcaneo, hoc eſt, poſtremo exitui ſolet acriùs inſidiari, abeunti ſeſe infeſtum, moleſtumque objecit: Chriſtianæque diſciplinæ myſteria, quantùm quidem ex reluctantis verbis conjici potuit, technis, putidiſque cavillis apud imperitum, ruſticanumque hominem elevare conabatur. Sed ejus pugnæ diutinâ meditatione hoſtis obarmatum Tuccium offendit. Cùmque callidiſſimus oppugnator, ut fallat, modò circuit, modò accedit propiùs, modò in ſuâ obſirmatum ſententiâ, deditâ operâ, ad tempus videtur relinquere, artiſque, & ingenii mutatione laſſat ægroto in corpore mentem; gnarus Tuccius illius ancipitis pugnæ victoriam in unâ fidei ſtabilitate poſitam eſſe, ictus omnes, intortaque nequiſſimi ignita tela ſcuto fidei imperterritus excipiebat, intermortuis ſubindè vocibus indicans, ſe libentem, volentemque communi Eccleſiæ arbitratui, fideique ſubſcribere. Ad quinque non minùs horas, anceps, atroxque pugna tenuit. Cùmque à reluctante nil aliud extorqueri poſſe appareret, Dæmon turpiter victus, fuſuſque diſceſſit; hic autem cœleſti riſu pleniſſimus ſincerè victor migravit.

Arſenius Sergaddius, Placidus Guadagnius, & Hieronymus Monachi Septimiani, Viri perfectæ, cumulatæque virtutis.

Nec obſcurioris famæ ſanctitatis ſub Antonio, Arſenius Sergaddius Florentinus fuit. Hic cum vetuſtâ Arſenii nominis majeſtate, priſcam illam Ægyptiorum Patrum ſeveriorem diſciplinam iterúm in clauſtra revehere viſus eſt; ſermonis parciſſimus, intentiſſimæ meditationis, adeò

adeò verò suprà sensus elatus, ut vel ipso aspectu, & dissolutos terreret, & ad charismata meliora probos videretur impellere. Huic coævus Placidus Guadagnius bono illo suo odore virtutum Septimianum nomen extrà fines Hetruriæ felicissimè protulit. Utrique verò par Hieronymus ille Dominici, Claræ vallis Mediolanensis posteà Abbas per maxima sanctimoniæ decora Cisterciense nomen mirificè propagavit. His perantiqua Claræ vallis chronologia quindecim alios addit non inferioris notæ viros, qui Antonianis temporibus præclarissimum, Paulo II. Romano Pontifice jubente, ursêre factum, quod statim subjiciemus.

Mediolanum, Francisci Sfortiæ, fortissimi Ducis parebat legibus. Huic Ascanius Sfortia filius, posteà Cardinalis, erat; qui ad tuendam purpuræ dignitatem splendidæ fortunæ conjunctam, pleraque Cisalpinæ Galliæ opulenta sacerdotia commendata habebat: in iis autem Claræ vallis Cisterciense Cœnobium, tantæ antiquitatis, si ortum nostri Ordinis spectes, ut ejus fundamenta in annum MCXXXV. hoc est, in Divi Bernardi tempora rejiciantur: ejus denique opulentiæ, quæ & fortunatissimæ purpuræ sufficere; & maximam multitudinem Monachorum alere posset. Hujus cùm meminit Merula, ita inquit: *Haud longè à Mediolano, velut suburbanum quoddam Monasterium Claræ vallis, Bernardo procurante, ædificatur, quò primùm numerosa Monachorum fraternitas, qui in medium viverent, coïvit.* Hoc antequàm Commendatariorum luxus libaret; ut sanctorum Monachorum præclarum domicilium fuit: ita & externarum rerum pertæsis certissimum effugium habitum est. Georg. Mer. lib. 3.

Hùc enim aliquando, ut de ceteris taceam, Otho ille Vicecomes, qui ad sexagesimum usque annum, & eo amplius, in armis strenui Ducis partes magis, quàm sacri Antistitis, civili exardente bello, assiduè administravit,

 qui-

quique decumano prælio Turrianorum res, viresque perfregit: armis tandem, curisque fessus, partâ undique pace, amploque Mediolani constituto Imperio, ac Magno Matthæo nepoti fratris filio tradito, Deo, sibique vacaturus se contulit. Ubi cùm sanctissimorum Monachorum contubernio jucundissimè frueretur; de bellatore egregio, sacroque Antistite penè Monachus factus anno MCCXCV. è vitâ discessit.

Verùm cùm Monachismi fortunæ cœpissent ad profanos usus transferri; adeò id vitæ genus exolevisse visum est, ut Monachi ipsi plerumque egestate compulsi à semel professo officio turpissimè abirent, maléque apud omnis ordinis homines eo nomine audientes, omnibus odio essent, atque contemtui. Id autem cùm Insubribus Cistercienſibus evenisset; beneficio tamen Principum Sfortiorum nostri Ordinis amantium, in Claravalle adhuc sub Johanne Puteo Brunello Priore Monachi viginti quinque, octoque religiosi famuli, quos Conversos vocamus, degebant: viri, ut plurimùm, nec infimæ nobilitatis, nec temnendæ doctrinæ; quorum nonneminem Bonifacius Symoneta Abbas Cornu, Cisterciensis, vir sui seculi politissimæ literaturæ, in iis, quas de persequutionibus Christianis inscripsit epistolas, & alloquatur, & celebret: sed tamen qui cupiditate habendi, ut eventus posteà docuit, adeò essent infecti, ut jam communis convictus nil pensi haberent, nullâ statarum precum ducerentur religione, quique per summum otium, deserto Claustro, frequentes in Civitate versarentur, & foro. Doluit vices temporum Ascanius Sfortia, atque, ut erat ingentis spiritus Princeps, celeberrimi Monasterii, quod virtutum olim, ac Principum virorum, qui privatæ vitæ aliquando se dedissent, omnium confessione tanquàm tutissimum perfugium semper fuisset habitum, haud diutiùs contumeliam tulit. Itaque à Paulo II. Rom. Pont. sup-

In Monasterio Claravallis Mediolanensi labantem regularem disciplinam restituere conatur Ascanius Sfortia.

ſuppetias petiit, ut priſtini illùc, ſanctioreſque mores reſtituerentur. Nec diù fuit Pontifici deliberandum, cui hæc tanta cura potiſſimùm demandaretur: occurrêre illicò in eam cogitationem intento Septimiani Monachi, quorum priſtina illa ſanctitatis fama jam rediviva, illuſtriorque per ora omnium non volitabat modò; ſed illius ſeculi doctorum hominum immortalibus literis aſſerebatur in cœlum. In iis Jacobus ille Antiquarius Ludovico Sfortiæ Duci à conſiliis, ſecretiſque, ac per id tempus variè literatus, in paucis diſertis verbis ex communi famâ teſtatur Septimianos Monachos *celebre ſanctitatis nomen* (ut ipſius verbis utar) *fuiſſe adeptos*. Hos ergò Summo Pontifici Paulo ad Claram Mediolani Vallem legare placuit. Videbat enim fore vir ſapiens, ut Ciſtercienſes, Ciſtercienſes faciliùs lucrarentur, majorque fides adhiberetur iis, quorum cum factis, ipſa verba congruerent; eorumque certiùs devii veſtigia ſequerentur, qui ſub eodem inſtituto deſerti itineris infractos ſe duces præſtarent.

Paulus ſecundus, Aſcanii Sfortiæ rogatu, Monachos Septimianos eligit, ut in Monaſterio Mediolanenſi Claravallis fleta, & axoleta in rectum revocent.

Sed haud perindè ſplendida legatio arriſit Antonio; quippè qui noſſet, alienos corrigere mores, cenſoriâ virgâ ſumtâ, difficilius eſſe, quàm quòd hujuſmodi munus paſſim, ac leviter uſurpari deberet. Tum illum ea ſuſpicio divexabat, ne ſanctiorum Monachorum è Septimo detractâ medullâ (quod utique in tantâ re evenire oportebat) ceterorum, qui hujuſmodi exemplis deſtituerentur, induſtria deinceps langueret. Prætereà cogitanti deſperationem injicere videbatur exitus rei infelix, quem haud abſurdâ conjecturâ ſapientiores timebant. Siquidem non erat neſcius, illud hominum genus, qui ſemel in Clauſtro voluptatibus parere aſſueviſſent, ferè inſanabile eſſe. Quibus ſuſpicionibus ſemel, & ſæpiùs oppugnatus animus, haud dubiè ad negantem partem adigebatur. Interim autem Pontifici ſederat, & Aſcanio Principi rem gratam facere, & tanto diſcrimine laborantibus opportunam opem

Inſanabiles ſunt, qui in clauſtro voluptatibus parere aſſueverunt.

opem afferre. Itaque infigni edito diplomate, (in quo præter cetera favorabilia, funeftum, minanfque religionis telum fplendebat utrique intentatum parti, corrigendis fcilicet, & correctoribus, ni Pontificis dicto ftatim audientes effent) Septimianos metu magis ad præclarum opus adegit; quàm quòd ipfi tantæ rei pares effe fe arbitrarentur. Serò intellexit Antonius, rem agi feriò. Itaque cùm fe collegiffet; in eamque rem (quando parendum erat) nervos omnes intendiffet, ut ad rem gerendam mitteret opportunos: ex omni Septimiano corpore lectiffimos fexdecim Monachos adlegit, Arfenium, videlicet, Placidum, Hieronymum, ac Pacificum, de quibus nonnihil fuprà, & plura dicemus deinceps, qui paris virtutis duodecim alios, duobus adjunctis famulis, tanquam benè curatam, inftructamque familiam ad opus deducerent. In quos fanè illud Cant. appofitè cadere videbatur: *Omnes gemellis fetibus, & fterilis non eft inter eos*. Hic enim valebat prudentiâ; illum rerum ufus extulerat: alius confiliis dandis, accipiendifque habebatur præcipuus; alterum fcripturarum fcientia exornarat, ut in utráque fortunâ præfentiffima depromeret remedia;illius vitæ fanctitas ceteris religioni erat: nonnulli verò ità victûs parfimoniâ, precumque clarebant inftantiâ; ità denique fimul omnes fanctioris vitæ præceptis, exemplifque videbantur imbuti, ut inftructiffimam ad omnem pietatem, atque virtutem fecum devehere domum crederentur. Nec ita tamen animatos, atque inftructos omifit Antonius fui officii graviffimè admonere; cùm diceret:

Antonius Abbas Septimianus fexdecimè fuis Monachis Mediolanum mittit, qui egregium reformationis Monafterii Claræallis opus abfolvant.

Ob id intelligere fe, correctionis munus difficillimum effe, atque graviffimum, quòd & vitam ejus, qui corrigit, requireret ab omni labe mundiffimam, & nil magis arduum, difficiliufque aggrederentur mortales, quàm lenitatem cum feveritate mifcere. Utrumque arduum effe; poftremum verò tanti laboris, ac fapientiæ, ut ad id, qui pro-

Sapientiffima, graviffimaque Antonii Abbatis Septimiani verba ad Monachos, quos Mediolanum mittit.

propiùs collimaſſet, longè ſapientiſſimus poſſet haberi: requiri tamen diſparis rei raram illam conjunctionem, ne correctoris in irritum caderet labor. Neque enim poſſe illum, cui non lenitas adſit, crudelitatis notâ carere: nec diſſoluti nomine, quem non obarmet ſeveritas. Prorsùs militiæ ſpeciem eſſe, alienis moribus mendum detrahere. Utrobique enim adhiberi conatus: utrobique contendi: ibi, ut ſequutâ pace, victor triumphet; hic, ut ſanitate receptâ, animi ad virtutem perennent. Ut ergo illud non magis bellum dicendum, quàm cædem, in quo commiſſa acies mutuis vulneribus penitùs confodiantur ad necem; ſic nec correctionem illam dici debere, cujus ſeveritas corrigendos fugaverit, confuderitque. Statuebat proindè, in mendoſos opus amore eſſe, ut utriuſque rei pulchra mixtura fieret: illius rei exemplum ſe Sponſam præbere, quæ in Canticis ſub nomine putationis vix abhorrente à bello, ut leniorem putationi dexteram admoveret, amanter invitabatur à Sponſo: Surge, propera, amica mea, tempus putationis advenit. *Ex quibus verbis debere intelligi, correctionis munus, opus amoris eſſe, quod non niſi aptè Sponſa tractaret. In eo ſiquidem acui ferrum, ſed ad perutile opus; vibrari, ſed ad virorem: virgulta ſecari, ſed ne plus æquo luxurient; turgentes quandoque jugulari gemmas, ſed ut indè latiores flores erumpant, ac fructuum omnium major ubertas, & copia. Ad hanc igitur putationem, haud abſimile pugnæ munus, ſe eos provocare dicebat; ut in corrigendo imitari vellent Agricolarum ſolertiam, qui non tantùm bonas, rectaſque arbores colunt, ſed illis quoque, quas aliqua depravaverit cauſa, adminicula, quibus regantur, adminiſtrant: alias circumcidunt, ne rami proceritatem premant; quaſdam vitio loci infirmas nutriunt: quibuſdam alienâ umbrâ laborantibus cœlum aperiunt. Secundùm igitur hæc illos etiam ſapienter videre exhortabatur, quod corrigendorum*

rum

rum ingenium, quâve ratione foret tractandum, donec quos consuetudinis vitium depravasset, flecterentur in rectum: inde enim certam spem fore, ut tàm ii, qui corrigerent, quàm qui corrigerentur, magno suo commodo, gaudioque sentirent correctionis gladium conflatum in vomerem, & objurgationis lanceam in falcem versam, non tàm laboris, quàm messis uberioris non obscura praludia.

Quibus ad severitatem, simul, ac lenitatem salubrioribus imbutos præceptis aliquando tandem dimisit Antonius. Qui cùm anno MCDLXV. sexto Nonas Octobris Mediolanum venissent; tantâ omnium Ordinum lætitiâ, celebritateque excepti sunt, ut tam illius lætitiæ, quàm Sfortiorum Principum in eam rem munificentiæ, scriptor illius seculi longè doctissimus in familiaribus ad amicum literis honorificè meminerit. Cúmque decimo Calendas Novembris, Clarævallense iniissent Cœnobium, perspectis omnibus, IIII. Cal. octo remigrarunt Mediolanum, atque cum Fulginatium Antistite agente pro illustrissimo Ascanio Mariâ Vicecomite Sfortiâ, ad S. Ambrosium (cujus postremus Commendatarius fuit) longâ deliberatione, hoc est, septem mensium, rationem correctionis pensitabant. Quos interim multis agitatos procellis, narrat vetus Chronista Claravallensis. Candidè tamen fateor, haud me satis videre, unde tot, tantæque procellæ iis potissimùm impendere potuerint, quos ad præclarum facinus evocatos fortunatissimorum Principum favor, ac opes eo tempore tuerentur. Rei tandem exitus me scribentem admonuit, in id maximè Septimianos insudavisse, ut, stirpitùs eradicatis vitiis, servarent homines, nec potuisse. Id illi; (ut charitate cogente, ad corrigendum accesserant) sævissimam procellam fortasse vocabant, quâ se percelli, agitarique arbitrabantur, dum fratres sibi charissimos certissimo salutis discrimine involvi justissimis lacry-

crymis lamentarentur. Fortaſsè enim apud iſtos Inſubres Claræ vallenſes invaluerat opinio illa, id eſſe mordicùs tenendum, quod quiſque cùm voveret, reperiſſet in clauſtro: hoc eſt, elumbem quandam, corruptam, diſſolutamque vivendi rationem, quam inertiſſimi quique ſequuntur. Quam ſi illis omninò ſalubriter extorquere coneris, atque ad ea, quæ aliquando diſtinxerant, vota compellere; illicò Bernardum proferunt, à quo mutuati fiduciariam ſicam in monitores devibrent: *Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promiſi; nec plus exigat, quàm promiſi. Vota mea nec augeat ſine meâ voluntate, nec minuat ſine certâ neceſſitate.* Quaſi verò Bernardus, dum hæc ſcriberet, pro corruptelâ illâ morum pugnaret, non pro votis, quæ ſemel emiſſa Deo, ipſi ex fide, caſtéque redduntur. Quando verò à ſe diſſentiret vir gravis, idem ac ſanctus, qui ubique & ſemper tepidos, ideſt, ad vomitum reverſos inſectatur Monachos, paulóque remiſſiores graviſſimè damnat mores: qui idololatriæ ſcelus, hoc eſt, propriæ voluntatis obſtinatum deteſtatur arbitrium; qui monachalem amœniorem cultum, in quo quæſitus eſſet magis color, quam calor, abhorret: qui murorum exſtruendorum intenſiorem curam, cum neglectu morum, deridet?

Verbis D. Bernardi, quæ laxitati favere videntur, abutendum non eſt.

Hâc itaque peſte infectos, hocque errore ſeductos Claræ vallenſes illos crediderim, quos corrigendos ſuſcepêre Septimiani. Siquidem cùm ad ſeptem menſes, Arſenius, Placiduſque ejus principes legationis trepidam deliberationem protraxiſſent, ut deviis, averſiſque opportunum daretur ſpatium reſipiſcendi; nihilque interim omiſiſſent, quod ad lucrandas animas aptiſſimum eſſe videretur: ſpopondiſſentque, ita ſe omnia clementer, ita moderatè facturos, ut nil ſuprà, nil infrà, nil denique contra regulam, ad cujus præſcriptum vota nuncupaviſſent, præciperent. Nullus tamen eorum vel precibus delinitus,

& monitis, vel denique salutis suæ certissimo discrimine adeò territus fuit; ut bonitate causæ, charitate in proximos, vitæ demum innocentiâ vincentibus manus daret. Omnes enim ad unum, hoc est, viginti quinque Monachi, cum octo Conversis certâ pecuniæ summâ quotannis à Septimianis pendendâ, reformatoribus lacrymantibus, inspersi abierunt; sustinueruntque, deserto claustro, fratribusque relictis, bini, vel terni, vel etiam singuli, more secularium hominum, vitam exigere. Adeò sæva consuetudinis tyrannis est, adeò difficulter excutitur!

Monasterii Claravallis Mediolanensis infelix exitus ostendit, quàm dirum inveteratæ consuetudinis jugum sit.

Infelici rei exitu frustratos Septimianos, vehemens dolor oppressit; itaut luculentissimis datis literis, vix eos post longum sanè tempus Antonius solari potuerit. Ingerebat in primis dolore ægris, haud semper in potestate medici esse, ut relevetur æger, variumque ferè habere exitum ea, in quibus moliendis maximè conarentur mortales; unamque conscientiam pro mille testibus iis esse debere, quorum haud operâ factum esset, ut res irritæ caderent: atque ex re præsenti captatâ occasione, subinferebat, fructus amplissimos indè colligi posse; insanabiles scilicet, videri, qui consuetudine jam ipsâ peccarent: adeóque ut perhorrescendum monstrum aversandam consuetudinem, quæ initium exiguum capit; neglecta verò maximas vires sumit: quæque ut callus tempore factus adimit in probrosis sensum dolendi; quæ denique, quæ in nobis semina virtutum sunt, exstinguit, promovetque pugnantia vitia. Quapropter permagni existimari debere, abiisse eos (quando ita Deus, cujus inscrutabilia judicia, permiserat) quibus consuetudo peccandi, turpissimum obduxerat callum, ne qui deinceps ad claustra venirent, quasi à morbidis ovibus inficerentur. Illud in agricolatione præire meritò, ut quæ serere velimus, priùs liberemus arva fruticibus, hocque tàm magnum futuræ messis præludium sine ullo eorum labore, divinâ virgulâ, oscitan-

Luculenta Antonii Abbatis Septimiani monita.

Consuetudinis inveteratæ jugum atrox, ac pertimescendum.

tantibus non accidisse. Illud prætereà Psalmi ex re penè natum attentissimè cogitandum objiciebat: *Ejecisti gentes, & plantasti eos.* Ut in munificum datorem grato, memorique animo essent, qui, ut eos ad fructum uberiorem gratis plantaret, repentè illos ejecit, evulsit, qui immemori mente steriles, infructuosique penè aruerant; proindè timidè cogitarent inexorabilem Cœlestis Agricolæ falcem esse in infrugiferos, cujus inevitabilem ictum severiora illa verba prævertunt: *Ut quid etiam terram occupat?*

Hæc, & iis similia mœrentibus (tametsi ipse etiam maximo dolore arderet) ingerebat Antonius, ut & alieno periculo saperent, & singulari Dei munere illecti haud in tantæ rei mole animum despondérent. Antonii parentis votis respondit Arsenius. Etenim Cœnobio Claræ-vallis Præfectus; adeò sanctimoniâ vitæ fulsit, valuitque consilio, ut ex totius Mediolani primariâ nobilitate innumerabiles filios Christo genuerit, breviqueClaram illam Vallem juxtà Propheticum dictum spiritualem in ubertatem versam, ei videre contigerit.. Hinc illa Galliæ Cisalpinæ Cistercienfis Congregatio dextro Numine dimanavit, doctrinâ, ac monasticæ disciplinæ laude viris præstantibus gravis, fetaque semper: cui successu temporis pleraque Insubriæ, munificentiâ planè regiâ, exædificata Monasteria in possessionem cessêre. In cujus modo laudes sat dixisse erit, Arsenio, Placido, Hieronymoque ducibus, ac parentibus, Congregationem illam eò processisse virtutis, ut pulcherrimæ, ac frugiferæ arboris Septimianæ degener ramus nunquàm videri potuerit.

Galliæ Cisalpinæ Congregatio Cistercienfis, doctrinæ, virtutum, ac monasticæ disciplinæ laude continuò mirum in modum conspicua.

Jam Clara Mediolani Vallis, Septimianis cultoribus, *abundabat frumento*, hoc est, pluribus, nobilibusque educatis alumnis, sibi ipsi sufficiebat; cùm Reformatores Hetrusci Septimianæ observantiæ desiderio tacti, duceque Pacifico, remigrarunt Florentiam. Sed haud ita

Septimiani Reformatores Monasterii Claravallensis se iterùm in Hetruriam referunt.

ita facilem miſſionem Arſenius, Placidus, Hieronymuſque impetrarunt à filiis, qui à parentum complexu negabant ſe poſſe divelli. Et Arſenius quidem, quandiù vixit, Clarævallenſi Cœnobio præfuit. Hieronymus verò poſt Arſenii obitum, reſtitutumque Abbatis honorarium titulum primus Clarævallis Abbas eſt dictus. Placidus verò multò poſt, ideſt, anno MCDXCIII. S. Ambroſio Mediolani Majori celeberrimo, ac opulento Cœnobio eandem correctionis medicinam fecit; proceſſitque adeò feliciter cura,ut cùm ſanctitatem illorum Monachorum revereretur Cardinalis Aſcanius: ſpontè, annuenteque Alexandro VI. Pontifice, ejus Monaſterii Commendâ, ut vocant, ſe abdicârit, ingenteſque divitias, jura, latifundia, ac honorarios titulos Ciſtercienſibus Monachis attribuerit; poſtulavitque, ut liberis Monachorum ſuffragiis Abbas primo quoque tempore diceretur: Ejus ergo loci primus Abbas creatus eſt Johannes à Toſſignano, ex Placidi Septimiani diſciplinâ nobilis alumnus; qui poſteà præcipuâ charitate in pauperes, ardentique pietate in Deum nobilitatus eſt.

Aſcanius Cardinalis in Ciſtercienſes munificentiſſimus.

Ceterùm, cùm Arſenius, Placidus, ac Hieronymus, & ſanctiſſimè vixiſſent, & præfuiſſent ſalubriter; diemque clauſiſſent extremum: à mœſtiſſimis filiis in Claravalle ſupremo officio demandati ſunt; pignus utique futuri certiſſimi amoris inter Hetruſcos Monachos, atque Inſubres, ut ſaluberrimis colligati legibus, mutuáque viciſsitudine dignitatum, ubi deinceps in Italiâ collaberetur, Ciſtercienſem rem certatim reſtituerent, reſtitutamque proferrent.

Jam cum Pacifico reverſos Septimianos exceperat Antonius; receptorumque filiorum ſoſpitate lætiſsimus, gravis jam annis, urgenteque ſenio, impar ſuis humeris onus deponere cogitabat. Itaque filiis ſuam imbecillitatem excuſans, ſibi jam jam colligendas eſſe ſarcinulas dicta-

De abdicandâ Abbatis dignitate Antonius ſeriò cogitat.

ctitabat, alterumque propemodùm pedem in cymbâ habere; proindè orare se, ut sibi aliquando vacare liceret. Id operis vegetum, operosum, indefessumque requirere, qui ceteris esse posset exemplo; non defectum viribus senem, capularem, spiransque cadaver, quod ceteris cessandi materiem daret. Plerosque enim juvenum, majorum exempla sequi, non illorum æstimare infirmitatem; eaque amplecti lubentiùs, quæ mollitiei viderint convenire, quàm quæ rectæ, rigidæque rationi favere: eam ob rem sacrilegium ducere, pertinaciùs id retinere, quod nullâ ratione exsequi posset. Habere eos, quibus id onus tutò imponerent, sequerenturque ad virtutem duces prævalidos: vellent pati modò, se in eâ quasi panegyri spectatorem adesse, qui per ipsos triginta annos, qualemcunque se præbuisset actorem. Hoc idem ipsum, cùm modò lacrymis, modò precibus, atque ex prudentioribus modò hunc, modò illum, prehensando valentiùs inculcaret; exoraretque, ab invitis tandem missionem extorsit veriùs, quam obtinuit: abeuntique munere, Pacificus suffectus est, is ille, qui nuper Mediolano reverterat, quique ob correctos Claravallensium mores cum primis illis Septimianis luminibus inclaruerat.

Abdicationis Antonii religiosissimæ causæ.

Antonii Abbatis abdicationi Monachi Septimiani inviti consensum præbent.

Pacificus unus è potissimis Claravallensium Reformatoribus Antonio Abbati se se munere abdicanti sufficitur.

Interim lætus senex Antonius, & ad arbitrium felix nocturnas nihilominùs urgere vigilias, diurnis primus adesse precibus, postremus è templo exire, communi mensæ, statisque horis accumbere, parabilibus vesci cibis, occupatis labore divinam lectionem ingerere, secedere frequentissimè, silere ad omnia, prolixiùs, intensiúsque ad mentis usque excessum orare. Hæc omnia strenuè, hilarique facie obeuntem compellabant sui, de homine subindè non sine quâdam jucundâ indignatione quærentes, *an illud esset cessare, senilique ætati parcere?* Subridens ille, cessationem utique esse, reponebat, sed quæ illum deceret, qui judici propediem foret sistendus.

Religiosâ pietate, ac gravitate plenum Antonii Abbatis dictum.

For-

Formidolosè inter hæc Pacificus tantum onus ſubibat, quòd invidioſam ſecum cum vivente prædeceſſore, & qui tam glorioſi laboris, omnibus acclamantibus, metam tetigerat, contentionem afferre non ignoraret. Itaque cum hinc incomparabili virtutis urgeretur exemplo; illinc exiſtimationis ſuæ ſtimulis pungeretur; ad unum ſpirituale commodum ſuorum curas omnes convertit: vigilare, orare, labori manuum intereſſe, communi Pſalmodiæ nunquàm deeſſe; deſidioſis ſolertiæ ducem, plus æquo fervidis ſe frenum præbere: illos blanditiis, hos durioribus verbis ad officium invitare. Dum verò ſe præbet exemplum aliis, atque omnem vivendi licentiam ſeveriùs in ſe caſtigat; ex diuturnis laboribus, apoplexia, quæ bis eum incaſſum tentaverat, tertiò facta valentior, hæc apud ſuos agentem quarto ſuæ præfecturæ anno Pacificum repentino oppreſſit interitu, virum inſignem, ut ad pectus ſtatua, quam in illo rigore Ordinis apud ſuos promeruit, abundè declarat. Exprimit illa ſenem detonsâ barbâ, totum ad ſeveritatem compoſitum, gravem, cogitabundum, plenum decoris, priſcamque illam monaſticam diſciplinam undequaque ſpirantem. Quâ quidem deſiderium exſtincti lenire Monachi viſi ſunt; tametſi præclarè facta, quæ ſtatuis omnibus, ſuperbiſque Coloſſis ſapientiſſimè Ageſilaus præferre ſolebat, ita virum præclarum condecorarent, ut tantarum virtutum memoriam nulla unquàm oblivio obſcuratura videretur.

Pacificus clariſſimus Abbas Septimianus quarto præfecturæ anno repentinâ morte extinguitur.

Ageſilai teſtimonio, præclara facinora ſtatuis omnibus, ſuperbiſque Coloſſis anteponenda ſunt.

Conſternati autem Septimiani (ut ſunt mortalium cogitationes timidæ) ſubvereri cœperunt, ne clariſſimi viri obitus inſperatus in varios hominum ſermones incurreret: illud ſecum reputantes, ſe in ea tempora incidiſſe, in quibus nil uſitatius eſſet, nil familiarius, quàm ſub fictis criminibus veras fortunas amittere. Itaque ubi primùm extulêre defunctum, vocato cœtu, iterùm ad præfecturam volentem nolentem rapiunt Antonium. Paſſus eſt vir

Antonium Abbatem iterùm ſibi præficiunt Monachi Septimiani.

vir bonus, & ſapiens ſibi vim adhùc afferri, ne ſemel exanimatis metum videretur augere. Ita tamen interim præerat, ut cùm reſediſſent timores, iterùm receptui canere velle videretur. Quod cùm animadvertiſſent plerique, deſperarentque ſe pari virtute poſſe invenire parentem, qui perpetuò imperaret; de præfecturâ inducendâ ad annum, agitabant ſermones. Haud diſplicebat inventum deſidioſis, ac rerum novarum cupidis: inque hanc ſententiam promtiſſimi ibant perpetuæ præfecturæ oſores; venerabanturque eâ de re coronas, quibus de aggregandis per Italiam Cœnobiis ſanior ſenſus inſederat; omnes denique ea erexerat cogitatio; ſatiùs multò eſſe, malum, ſi eligi contigiſſet, pati ad tempus, quàm bonum perpetuò regnantem odiſſe. Ergo cùm propemodùm jam eâ de re ad Pontificem ſupplices porrigendi libellos explicarent conſilium; haud ſalutari ſuorum conſpirationi interceſſit Antonius: cúmque ad prudentiores adiiſſet, adnitebatur illis extorquere hanc mentem, cùm diceret: *Et ſuſtinebitis, communi jure electionum everſo, peregrinas, novaſque leges induci? Si quid in ſenibus experientia poteſt, vaticinor jam nunc vobis hoc noxium; Ordini cetero haudquaquàm decorum futurum. Scilicet nos ſoli ſapimus, deſipiunt ceteri, ut prudentia facem deviis hoc tempore præferamus. Eſto, peccârunt aliqui, dum ex præſcripto legum perpetuò imperant; num ideò æquè injurii, ac qui illas violârunt, innoxias, inauditaſque leges damnabimus? Sed fortaſsè commoda vos trahunt, quæ ex unâ annuâ præfecturâ hauriri poſſe ſperatis. De me qualia, quàntaque audite. Primùm, ex hujuſmodi quâdam quaſi ſeceſſione, apud ceteros Ordinis amantes maximâ invidiâ ardebitis: tum qui ex longiori ſpe conſopitus modò videtur, annuâ illâ viciſſitudine, quaſi follibus excitatus ambitus reviviſcet, ardebit, clauſtraque fœdabit. Prætereà, qui ad annum ſedebit, timidè omni-*

Utiliſſima, necnon ſapientiſſima Antonii Abbatis Septimiani in annuam Abbatum adminiſtrationem monita.

omninò regnabit, veritus ne si invehatur in vitia, elapso anno, ejus deindè tribunal, iniqua passurus cogatur subire, quem paulo ante justè multaverat. Deindè, vix aliquid insigne, splendidumque moliri audebit, quem tantuli temporis angustia prohibebunt. Quid verò quotannis astus ille comitiorum? Unanimes armabit in discordiam fratres; sanctum evertet otium: jus, fasque confundet, dùm pro se quisque pugnabit, ut evehatur ad sedem. Hæc si commoda sunt, sequimini; si minùs, sapite: respicite vos, publicamque rem melioribus fulcite consiliis, secessione ne perdite. Sed nimirùm visus est Antonius surdis quasi fabulam canere. Prætulerant enim cuilibet commodo illam ex novis rebus solitam nasci dulcedinem, satisque commodum existimabant, si unius anni angustiis, & bonus admoneretur, ne vellet esse tyrannus, & malus cum metam propiorem cerneret, non usquequaque sæviret. Itaque supplicibus ad Pontificem datis libellis, (is erat Sixtus IIII. ex Franciscanâ familia quondam alumnus) ad id annitentibus Vexillifero justitiæ, Populique Florentini Prioribus, impetrârunt tandem, ut præfectura Septimiana annua esset. Quanquam verò dignitati Antonii pontificium diploma, quoàd vixisset, caveret; cessit tamen secundò, ac libens, volensque abiit magistratu: suffectusque ei est Benedictus ex Septimianâ familiâ nobilis Monachus, qui Septimianam rem, quod Deus benè verteret, cœpit ad annum administrare.

Monitis Antonii Abbatis aurem non accommodantibus Monachis Septimianis, præfectura Septimiana annua redditur.

Denuò præfecturæ cedit Antonius, cui ad annum succedit Benedictus Monachus Septimianus.

Antonius autem cùm triginta & quinque annos suæ præfecturæ complesset; demùm privatus sanctissimè moriens Cisterciensibus sui desiderium fecit, vir planè incomparabilis; virtutis verò, æquitatisque adeò singularis, ut nullum, quoàd præfuit, turbârit, nullum compellârit acerbiùs, neminem præposterè amârit, neminem oderit; omnibus idem, sui verò ubique & semper simillimus, unâ præsentiæ majestate cunctos admonebat officii. Habitus cor-


Antonius Abbas quinque suprà triginta præfecturæ laudabiliter exactis annis, sanctissimè vitam cum morte commutat.

corporis, ut tradunt, mirificum prodebat ordinem mentis. Procerâ magis, quàm justâ staturâ fuit: eâ verò totius corporis constitutione, quæ inter gracilem, crassioremque consisteret. Oculi sublætâ, latâque fronte verecundè recesserant; acies, quæ clementiæ propior esset, cùm tamen vehementer feriret: candida facies, quam plerunque pallor confunderet, tota ad dignitatem composita; lati humeri, castigatus venter, incessus gravis: studebatque maximè in se transferre, quod Bernardo legimus laudi datum, ut nihil scilicet in se admitteret, quod posset offendere intuentes. Nil leve in verbis, nilvè subrusticum, totus sermo, quem suavissimè moliebatur, exprimebat imaginem mentis, quam diù venerati prisci illi Septimiani, demùm ad nos quasi per manus transmiserunt, quam grata imitaretur posteritas.

Dotes eximiæ Antonii Abbatis recensentur.

FINIS LIBRI QUARTI.





NICOLAI BACCETII FLORENTINI

Ex Ordine Ciſtercienſi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ

LIBER V.



POST celebrata Fugalia; hoc eſt, ſub Sixto IIII. præfecturæ perpetuitatem exactam, admirabilis progreſſio, (ut ferventia ſunt novarum rerum initia) curſuſque incredibilis ad omnem excellentiam apud Septimianos per aliquot annos factus eſt. Patuit enim ex eo optimo cuique quàm latiſſimus campus, ſpernentibus pleriſque tantuli imperii anguſtias, hoc eſt, ad unius præcipitantis anni metam præeſſe: ſaniorique conſilio ſtudia, conatuſque omnes conferentibus ad unius immortalis virtutis æternandam memoriam. Vix enim dici poteſt, quàm liber animus feliciter progrediatur, quámque, dimotis acribus ambitionis curis, ad veram, ſoli- Ambitionis periculoſiſſima damna.

 dam-

damque gloriam soleat exultare. Contrà verò ambitio, ceteræque humanæ cupiditatis pestes adeò currenti animo impedimento sunt, moramque moliuntur, ut in ullam partem se commovere posse videatur, nedùm progredi longiùs ad virtutem. Inflammat enim ad præposteram gloriam ambitio, contemtâ virtute, cujus unius ope, vera, solidaque perennare debuerat: partemque excellentissimæ illius libertatis evertit, quam in libris de Republicâ extollit Philosophus, Religiosus status ut salubriorem amplectitur, quæ facit ut aliis præesse possis, & vicissim parere. Ad quam cùm aliquando tandem privatorum consilio Septimiana res revocata fuisse videretur; nil planè mirum fuerit, si per ea novæ administrationis lenissima initia in vacuos ambitione animos tum sanctioris, tum divinioris sapientiæ decora confluxerint. Ejus rei, ut sese dabit occasio, haud vulgaria proferemus exempla. Tametsi modò animi non sit, omnes, qui ad annum Septimo præfuerunt, usque ad Gregorii XIII. tempora, sub quo iterùm, rerum nostrarum conversio facta est, recensere. Cùm enim hoc esset propemodùm infiniti operis, tùm nomenclatura Septimianorum Abbatum ad annum, quam noster Ferdinandus Ughellus digessit in ordinem, quòd nuda sit, parùm juvat scriptorem, itaut qui illorum res præclarè gestas conaretur expiscari, haud aliter perditam, irritamque operam poneret, quàm qui retibus, plagisque irrequietos ventos, aurasque se posse venari vanissimè arbitraretur. Noverit interim Lector, omnes ferè quos dabimus vel Septimianos Abbates fuisse; vel viros egregios, qui per Hetruriam non modò, sed etiam per Italiam, Cisterciensem rem mirificè protulêre.

Bernardus à Voltà Monachus Septimianus jure, ac merito laudatur.

In iis numero ego in primis Bercardum illum à Voltà nobilem Florentinum, qui Sixto IIII. Pontifici Max. non semel in corrigendis aliorum Monachorum moribus, strenuam operam navasse narratur. Is nobilibus parenti-

rentibus Florentiæ natus, adolescens adhuc, spreto seculo, illibatam in claustrum virginitatem visus est advexisse; itaque probatissimos Monachos imitatus, ut quasi cum lacte matris monasticam disciplinam suxisse videretur. Docile illi ingenium, sive ad virtutem mores informares, sive illum artium excoleres disciplinis. Prætulit autem cuilibet scientiæ sanctimoniam morum, cujus limam integrum annum jussus est subire, antequàm artem ullam attingeret. Quibus deinceps per optimos præceptores probè imbutus, non modò non superbiit unquàm, verùm etiam seipso in dies demisior evadebat. Ad hunc enim scopum noverat ritè, castéque perceptas artes collimare oportere, scilicet, ut illarum ope ex unius Dei pleniori cognitione collectam, sui quisque despicientiam summam & conciperet, & deprædicaret. Cùm trium & triginta annorum jam juvenis esset; non modò intrà Septimi fines omnium admirationem commovebat, rapiebatque: sed Romæ etiam, famâ prodente secretum, Sixto Pontifici Summo innotuerat.

Itaque cum propè Ferrariam prædives Cœnobium S. Bartholomæo sacrum in viâ morum ita labare contigisset, ut immanem brevi minitaretur ruinam; nutanti fulciendo unum Septimianum Bernardum sapientissimè suppofuit Sixtus. Hoc illud insigne Cœnobium est, quod exiguum anteà sacellum, ab urbe Ferrariâ vix mille passus distans, adnitentibus Subino, Ursone, Petro, ac Desiderio, itemque altero Ursone Vitalis filio, nobilibus, ac locupletibus Sacerdotibus, in eam ædium laxitatem, Viatore notæ probitatis viro Ferrariensi Episcopo, excrevit, eoque annuo censu ditatum est; ut haud indignæ sint visæ opes, quas Ludovici tùm Galliarum, tùm Italiæ Regis Christianissimi favorabilia diplomata tuerentur: locumque fortunis omnibus locupletatum XIII. Johannes Pontifex honorario Abbatiæ titulo posteà cohonestaret.

Ad Monasterium Ferrariense S. Bartholomæi Bernardus à Voltâ, Summo Pontifice præcipiente, restituturus accedit.

Nec

Nec vanâ conjecturâ ducuntur haud insulsi rerum æstimatores, Cœnobium olim Cassinensium ditionis fuisse. Certè collapsæ illic monasticæ disciplinæ limam correctionis per Cistercienses Septimianos adhibuisse Sixtum, candidè fatentur omnes, reique astruunt fidem favorabilia Pontificia diplomata, quæ Monachis illic degentibus omnia postrema minantur, ni Bernardum à Voltâ Septimianum correctorem admittant. Quæ cùm legissem attentiùs; non obscurè in illis subindicari animadverti, irritâ aliquando operâ, in eâ correctione versatum fuisse Bernardum, ac post lenitatem, dirarum ecclesiasticarum rebellibus intentasse mucronem, cùm ad calcem diplomatis, iisdem, si pergant, Pontifex Sixtus intonet in hæc verba: *Alioquin sententiam, quam idem Bernardus Abbas ritè tulerat in rebelles, ratam habebimus; & faciemus, autore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.* Quo pontificio telo obarmatus Bernardus rem aliquando tandem perfecit, arceque rebellantium voluntatum obtentâ, eam clementiæ legem victis dicere aggressus est, quæ veram adveheret, non adimeret libertatem. Fausto rei exitu delectatus Angelus Capranica Cardinalis Cœnobii Commendatarius, Capranicæ illius, cujus suprà cum laude meminimus, frater, tantam de viri virtute concepit opinionem; ut opulento, suâ sponte, exutus proventu in unum Septimianum Bernardum, sanctioris monasticæ disciplinæ assertorem libenter refuderit. Egregii tùm facti, tùm inauditæ hactenùs liberalitatis memoriam, prægrandis lapis in D. Bartholomæi templo in hæc verba insculptam habet: *Angelus Cardinalis Tituli S. Crucis in Hierusalem, Abbatiam hanc D. Bartholomæi destitutam, ac penè collapsam, Bernardo D. Salvatoris Ordinis Cisterciensis almæ Urbis Florentiæ Monacho resignavit, &c.* Aliis siquidem, qui præcesserant, Commendatariis beatissimis intentis proven-

Angelus Cardinalis Capranica Abbatiam S. Bartholomæi, cujus Commendatarius erat, Bernardo à Voltâ sponte transcribit.

ventibus; cœperant labaſcere parietes, Monachique admodùm infrequentes eò loci divinum cultum egerrimè promovebant.

At Bernardus ut tanto ditatus Cœnobio eſt, ut erat egregiè pius, haud opum illectus dulcedine ceſſavit: quin accuratior factus, non priùs quievit, quàm reſtitutis omnibus, priſtinus ſplendor veteri, ac celeberrimo Monaſterio acceſſerit; fortuniſque omnibus denique locupletatum, ac ſanctioribus ornatum moribus, factâ ſibi ad id poteſtate ab Innocentio VIII. Septimi juris fecerit. Eò autem liberalitas hæc tantâ cum pietate conjuncta ſpectabat, ut quaſi poſtliminiò receptis, conjunctiſque, quæ ſeorsùm lababant, Monaſteriis Ciſtercienſis Ordinis, Septimiani olim Monachi amplam creſcerent in Provinciam. Scilicet hanc Bernardi curam jampridèm præclarum Caſſinenſium factum acuerat, qui primi anno MCCCC. ne Commendatariorum diutiùs paterent injuriæ, utque ſanctiùs ad clauſtri ſecretum monaſticam diſciplinam excolerent, ſub iiſdem legibus quaſi in orbem coiverant. Tum ſtimulaverat virum Martinus ille Vargas ex Ordine Ciſtercienſi clariſſimus Monachus, qui anno MCCCCXXV. ordinem ſuum propemodùm ſeneſcentem, ac moribus, opibuſque jamjam effœtum opportunè miſeratus, ſejuncta per Hiſpaniam Ciſtercienſia Cœnobia quamplurima, ideóque alieno luxui opportuna; ad unius Dei cultum ampliorem, fortunarumque tutelam, ſub iiſdem legibus conſpirare coëgit, perpetuâ præfecturâ ſuppreſsâ, annuáque inductâ, quæ magis tempori conveniret.

Ea rerum Hiſpanicarum converſio torſit mirabiliter Gallos, quorum per ea tempora in univerſum Ordinem jus ſummum erat, adeòut privilegiorum noſtri Ordinis compilator, illud tam præclarum inventum toti Ordini inflictam plagam, factioſamque ſeceſſionem vocitans, amarioribus excellentem virum traduxerit verbis. Ceterùm

rùm pulcherrimi facti brevi constitit fructus, itaut posteà pœnituerit Gallos, & eâ dissolutâ administrandi ratione tanti Ordinis pessundedisse fortunas, & primos, ut prudentes viros decebat, non tulisse hanc laudem.

Ex eâ enim Monasteriorum salubri coitione, vix dici possit, quot illustrium disciplinarum in Hispaniâ fontes eruperint, quotvè in Ordine posteà floruerint Sancti. Absit verbo invidia. Neque cunctanter, neque timidè mihi jam asserere posse videor, perantiquum Cisterciensium Monachorum splendorem illum, doctrinam, eximiamque sanctimoniæ laudem, ex unâ Castellanâ Congregatione ubertim jam colligi posse, tametsi ceterum Ordinem, quod Deus avertat, contingeret deperire. Hunc, inquam, magnâ cum Italæ gentis laude deinceps subsequutus est Bernardus à Voltâ Septimianus; hactenùsque successit adeò, ut haud pœnitendi progressus laudent industriam autoris.

Hispanis Cisterciensibus Monachis multùm tenetur universus Ordo Cisterciensis.

Seriùs, adolescentibus nobis, Johannes à Barrerâ nobilis Gallus horum vestigia gloriosè est consequutus. Hic cùm Fuliense Cœnobium Presbiter secularis commendatum haberet, indignumque arbitraretur (ut erat ingenui pudoris retinentissimus) si Cisterciensium fortunis domesticum aleret splendorem, nulláque officii significatione tantum Ordinem coleret; post diutinam deliberationem, ad rei novitatem totâ ferè Galliâ suspensâ, ex insperato Cisterciensem Monachum induit, ascitisque sociis, qui tantæ rei moli pares humeros admoverent; eò vitæ severioris progressus est, ut convictu, ceterisque regulæ ritibus, tametsi longè dispari cultu vestium, severissimi Ordinis prisca incunabula illa videretur referre. Sub Gregorii XIII. excessum, ac Sixti V. principatûs initia, digressum è Galliâ hominem, Roma mirata est; adeóque per Romanorum Pontificum liberalitatem vetus Cisterciensis revocata temperatio crevit; ut quæ jam Gallia,

Johannis à Barrerâ Fuliensium Institutoris brevis historia, & elogium texitur.

Ita-

Italiaque sub ejus ductu non temnenda Monasteria habet, quamplurima numerentur. Quin plura in Galliis, Aragoniæque Regno in eam vivendi formam coire, dum hæc scriberemus, lætissimus afferebatur nuncius. Quod salubre inventum esse, libera hominis Galli vox, Vincentii illius Longaspà olim in Romanâ Curiâ causarum Ordinis generalis Oratoris testata est, cùm nostrorum Septimianorum Florentiæ, ordinem vitæ, morumque disciplinam admirans ex intimo pectore exclamaret: *Non est salus, nisi in Congregatione*. Nec Calabros Monachos demùm hoc latuit; quanquàm magno suo incommodo usque ad hæc nostra tempora, tanquam Acesseus mollis Nauta, in statione cessaverint. De quibus posteà nonnihil fortasse narrabimus, cùm de Montis Amiati, ad historiæ calcem, celebri Monasterio mentio fiet.

Sed ad Bernardum nostrum jam redeamus. Is eâ singulari liberalitate Italicæ Cisterciensi Congregationi jactis fundamentis, tantam omnium ordinum de se movit exspectationem, ut qui Reipublicæ Florentinæ sedebat ad clavum, tantam virtutem intrà unius septa claustri diutiùs non sit passus latére. Hospitalis domus recipiendis, fovendisque ægrotis Florentiæ est, quam S. Mariam Novam vulgus appellat, unius quidem familiæ Portinariorum inprimis opulentæ, ac nobilis olim liberalitate fundata: sensim verò decedentium civium, adeò piis quampluribus aucta legatis, ut in tam præclarum opus certatim omnes amplissimas fortunas suas contulisse videantur. Quorum juris erat, ii neque è plebe aliquem, neque sordidum, neque immitem, neque rapacem hujusmodi administrationi admovere solebant. Itaque sanctioris vitæ laude Bernardo florente, contigit Xenodochium Rectore destitui. Jam omnium oculi in unum Bernardum, tanquàm oneri parem futurum convertebantur; jam furtivis vulgi sermonibus Pater pauperum salutabatur: evenit-

Xenodochium Florentinum Sanctæ Mariæ Novæ nobilium Portinariorum olim liberalitate fundatum.

Bernardus à Voltâ Abbas Ordinis Cisterciensis in Rectorem Florentini Xenodochii Sanctæ Mariæ Novæ invitus eligitur.

nitque tandem omnium ex voto, ut in eam curarum maximam adlegeretur. Quanquam verò nonnisi invitus excedebat è claustro, dùm tamen ad omnia egregia intento succurrebat omnium animos demerendi sibi quàm latissimum campum aperiri, ad hujusmodi cursum laboris exhauriendum, minùs gravatè videbatur accingi. Ergo cùm præpotentium civium rogatu eam provinciam suscepisset, opinionem omnium superavit. Ipse ægrotos solari, alere splendidiùs, famulorum ministeria consultiùs disponere, imperare munditias, periclitantibus adesse, à ministris omnem vivendi luxuriem amovere, nihil demùm omittere, quod in languentium tùm animi, tùm corporis salutem esse videretur. Cùm noctu se sopori dedisset, ubi primùm sollicitam mentem exciverant negotia, clanculùm surgebat è lecto, fususque in preces, futuræ diei felicem exitum postulabat à cœlo: mox crepidis abjectis, soleatus tantùm, suspensoque gradu, ne vestigiis se prementibus proderetur, se conferebat ad ægros, visurus an aliquid, qui excubabant per vices oppressi somno, delinquerent. Quos ubi muneri reperisset intentos, magis magisque animabat exemplo, urgebat verò acriùs præsentiâ cessatores: die verò vel audiebat ministros, vel imperabat quæ in posterùm exsequi vellet, vel ephemerides revocabat ad calculos, vel disponebat ipse quæ in ægrotorum curam necessaria videbantur. Nunquàm indulsit otio, vel gulæ lenocinatus est, aut ad mensam inter fœcundiores calices sedens, aut ad pompam per urbem instructiori equo subvectus. Quæ cùm indefessè ubique, & semper exsequeretur, ex diutinis laboribus, ac sollicitudinibus, gravi contracto morbo, ne obolo quidem, ut Monachum decebat, ex tam opulentâ administratione ditior, plenus meritis diem clausit extremum, publicoque civitatis dolore, ac splendido funere elatus est. Accidit autem dum animam ageret res memoratu digna, quæ tùm san-

Veri, ac digni Xenodochiorum Rectoris dotes in agendi ratione Bernardi à Voltâ Cisterciensis Rectoris Xenodochii Florentini Sanctæ Mariæ Novæ perspiciuntur.

Pauperrimus in opulentâ Xenodochii Florentini Sanctæ Mariæ Novæ administratione Abbas Bernardus à Voltâ moritur, splendidoque funere tollitur: quem divino spiritu afflatum nonnulli piè crediderunt.

ſanctimoniam viri, tùm prophetiæ ſpiritum non obſcurè argueret.

Eximius illi alumnus erat, ex Ferrarienſium primariâ nobilitate Monachus nomine Paulus, quem in S. Bartholomæi Cœnobio, dùm illîc aleret monaſticam diſciplinam, Chriſto genuerat; virum cùm ceteris naturæ dotibus conſpicuum, tùm verò maximè parentis Bernardi propiore virtutum imitatione in Ciſtercienſi Ordine clarum. Hic flens, & ejulans cum ſævâ morte luctanti magiſtro aderat, cúmque continentibus ſuſpiriis quereretur, quòd eádem ſpiritûs ſuavitate jampridem conjunctos mors importuna dirimeret, à decedente hujuſmodi ferunt retuliſſe reſponſum: parceret lacrymis, dolorem detergeret, qui convoluto anno, eádem die, horáque eádem foret parentem inſequuturus. Nec prædictioni defuit fides. Cùm enim ſe ſe convolviſſet annus, Paulus vix morbo tentatus exceptus eſt lectulo, eádemque die, horáque eádem novo elatus gaudio abiturus in parentis amplexus, lætiſſimè mortuus eſt.

Ceterùm Bernardum, ſuaviſſimæ memoriæ virum, Septimiani ligneâ ad pectus ſtatuâ oblivioni utcúmque eripuerunt, quæ virum melioris ſeculi repræſentet, itàut cùm in illam obtutum converteris, nonniſi unum è priſcis illis Ægypti patribus intueri te credas.

Sub idem ferè tempus ab Innocentio VIII. poſtulârunt Florentini, ut ſubmotis Septimianis Converſis, ad uſum publici ſigilli, ejuſdem Ordinis Monachi adhiberentur. Cauſabantur enim ruſticos, ac plerúnque imperitos homulos, tametſi integræ fidei eſſent, in publicis diplomatibus obſignandis, haud exiguo Reipublicæ malo labi: idque ſi minùs hactenùs frequenter accidiſſet; hoc ipſum tamen timeri poſſe; tanti eſſe, ut trepida res digna poſſet videri, quæ ad ſapientiores rejiceretur. Haud refragatus Florentinorum poſtulatis Pontifex eſt: editoque

 peram-

Conversis Septimianis, quibus olim sigillum publicum creditum fuerat, amotis, autoritate Pontificiâ, ad usum & custodiam ejusdem sigilli Monachi Septimiani adhibentur.

peramplo diplomate, Palatio Dominorum, ut olim appellabant, Monachos Septimianos attribuit, quorum publici sigilli usus esset: præsentibus Consulibus sacrum facerent: herile epulum precibus præeundo auspicarentur: iisdémque cibis, quibus Domini, vescerentur. Res nostrorum quibusdam primâ facie decora visa est, lamentantibus ceteris lautæ gulæ satis amplum promtuarium patefactum fuisse: utri melius, rectiusque judicium tulerint, tempora ipsa, in quæ incidimus, etiam nobis tacentibus, proloquuntur.

Guidonem Monachum Septimianum Innocentius VIII eligit ad reformandos Camaldulenses Monachos, qui ad Sanctos Angelos Florentiæ degunt.

Nec multò post ab eodem Innocentio VIII. mittitur Guido Monachus Septimianus, Camaldulenses, qui ad Sanctos Angelos Florentiæ degunt, ad severiorem monasticam disciplinam instituturus: vir tùm sacrarum, tùm humanarum literarum peritissimus, Laurentiique Medices bonarum artium fautoris penitissimâ amicitiâ clarus. Hic cum eam Cœnobii correctionem auspicaretur, quò leniùs procederet, album ejus Ordinis induit cucullum. Eam ob rem Petrus Delphinus Camaldulensium per ea tempora Rector Generalis, ac non temnendæ eloquentiæ vir, tùm in eo corrigendo Cœnobio egregiè navatam operam, tùm candidæ vestis cultum in suis epistolis latinè conscriptis gratulatur Guidoni, nullùmque finem facit laudandi hominem, quòd auxerit Monasterium, quòd ad meliorem frugem instituerit Monachos, quòd laudatissimos revocaverit mores, ac nobilioribus excoluerit disciplinis. Adeò verò vir tantus tùm Camaldulensibus, tùm ceteris admirationi fuit, ut Romæ etiam ejus laudes, apud eos, qui pietatem excolerent, garrula fama celebraret. Certè non infrequenter Delphinus ad sui Ordinis colligendam famam, Piccolomineum Cardinalem, qui per id tempus Camaldulenses in suâ fide, ac potestate habebat, ad unius Guidonis virtutum spectaculum suavissimis scriptis literis evocavit. Et quidem ut pro-

Petrus Delphinus Camaldulensium Rector Generalis exquisitis laudibus celebrat Guidonem Monachum Septimianum Florentinorum Camaldulensium Reformatorem.

probis moribus Camaldulenſes Guido plurimùm juverit, non minùs opibus, fortuniſque adauxit. Propiori enim gratiæ gradu ad Laurentium Medicem cùm acceſſiſſet, cum viro verè magnanimo, ac pietatis amante tranſegit, ut S. Michaelis Aretii opulento ſacerdotio ditarentur: obtinuitque quod voluit. Ceteras virtutis laudes Guidonis Septimiani pleniùs, planiùſque cognoſcet, qui Petri Delphini nobiliſſimi Veneti haud incultas latinas epiſtolas conſuluerit.

A Laurentio Medice munificentiſſimo pietatis, ac eruditionis cultore Camaldulenſes opulento ſacerdotio ditari curat Guido Monachus Ciſtercienſis Septimianus.

Vix ſe convolverat annus, cùm Juſtus Riccialbanus Patritius Florentinus,ac ſpectatæ virtutis in Septimo Monachus publicis literis Mutinam evocatus, Miſericordiæ, ut vocant, non ſpernendi proventûs Cœnobium Hetruſcæ Congregationis nomine, quæ per Italiam jam coibat feliciter, recepit, atque in Ciſtercienſem Ordinem cooptavit. Celebre Cœnobium Sanctimonialium item Ciſtercienſium ſedes fuerat. Accidit autem Sixti IIII. temporibus, ut circumlatus ſecularium hominum rumor, incluſas, Deoque votas mulieres, incertum verè, an falsò, in invidiam furtim temerati pudoris adduceret. Præerat loco Pellegrina Carpenſis, virilis, atque elati ſpiritûs femina. Itaque cum crebrò hujuſmodi de rebus Pontifex interpellaretur, verereturque, ne ſerendis, jactandiſque vulgò ſermonibus res ipſa materiam præbuiſſet: coactus tandem aliquando eſt, illùc ſpectatæ virtutis legare viros, qui re propiùs cognitâ, quid tantâ in re facto opus eſſet, maturè decernerent. Quæſtione itaque inſtitutâ, confertiſſimi teſtium cunei judices fatigabant, quóque res acriùs attrectabatur, eò pejùs olebat. Igitur poſt hìnc indè conſultiſſima agitata conſilia,malè audientes mulieres denique expellendas putârunt: ut illud Chriſti Domini dictum ſuo non careret ſucceſſu: *Auferetur à vobis Regnum, & dabitur genti facienti fructus ejus*. Novis ergo, hoc eſt, Auguſtinianis Sanctimonialibus inductis, novos, uberio-

Juſti Riccialbani Monachi Septimiani publicis literis Mutinam evocati operâ, Ciſtercienſes Hetruſci conſpicuum Cœnobium à Mutinenſibus accipiunt.

rioreſque ſanctioris continentiæ fructus Mutinenſes præſtolabantur. Sivè autem infrequens locus, ac extrà celebritatem hominum poſitus veſanos, ſacrilegoſque acuebat amantes, ſivè ſexûs garrulitas, crebróque hinc indè tranſmiſſa munuſcula, literæque amatoriè ſcriptæ ſacrum prodebant pudorem, præ iſtis, primæ tolerabiles potuiſſent videri. Perculit ſiniſtræ famæ nuntium ad omnem pietatem erectum Herculem Ferrarienſium Ducem; noviſque in eam rem ab Innocentio VIII. impetratis judicibus cauſa ipſa tulit, ut ſicut anteà Ciſtercienſes, ità & Auguſtinianæ demùm ejectæ prædivite Monaſterio ſpoliarentur. Cujus cum nullum exſtaret veſtigium, quod Ciſtercienſem temperationem non ſaperet: res ipſa admonuit, nil opportunius fieri poſſe, quàm ſi Ciſtercienſibus antiquis dominis iterùm attribueretur. Occurrêre illicò ſanctitatis famâ illuſtres Septimiani; in quos publicis literis evocatos, hortatu Pontificis, ejus Monaſterii jus omne Dux Ferrarienſium transferendum curavit. Recepto Monaſterio, haud indotatas Auguſtinianas dimiſerunt Septimiani. Siquidem Mutinæ S. Pauli templum, olim nobile Miſericordiæ membrum, non ſinè proventu ejectis liberaliſſimè tradiderunt, in quo ad propitiandum Numen certas ſibi ſedes figere poſſent. Elapſi aliquot anni erant ab eâ rerum converſione; cùm Pellegrinam Carpenſem adhùc vegetem feminam acrior cura momordit, ſcilicet non ferendam eſſe injuriam, quòd, ut credi volebat, injuſtè à non melioribus Monialibus prædivite cenſu ſpoliata fuiſſet; harumque mox opes Monachi Thuſci voraſſent. Itaque haud verita prioris lapsûs invidiam, ac ſi Auguſtinianarum poſtremus prioris maculam deleviſſet, gravi, implicitáque lite Ciſtercienſes divexavit: itáque infracta ſemel intentatam peruſit, ut in ejus favorem judicibus conſpirantibus, ſub gravi religionis telo Ciſtercienſes demùm causâ caderent. Verùm dùm cun-

Hercules Ferrarienſium Dux, hortatu Innocentii VIII. Summi Pontificis, Auguſtinianarum Monialium celebre Monaſterium Septimianis Ciſtercienſibus tribuit, & concedit.

cunctanter ea, quæ tribunal censuerat exsequutioni mandantur; dúmque verentur omnes, ne pudor esset, ibi Virginum Deo votarum iterùm collocare pudorem, ubi non mediocris ejusdem jactura facta fuisset: utrinque suspensis Alexandri VI. Pontificis autoritas, Atestinique Herculis egregii Principis liberalitas intercessit: qui Pellegrinæ quinquaginta in singulos annos attributis scutatis, & insolubilem propemodùm litem perpetuo silentio diremerunt, & Septimianis æternùm mansurum Cœnobium adjudicârunt. Ad tantorum Principum sententiam libens volensque, ubi primùm ad Pontificatum evectus est, Julius posteà II. accessit.

Quâ in dignitate nullum non movit lapidem, ut Gallos per ea tempora rerum Italicarum dominos, ceterorum Principum succinctus armis ex Italiâ extunderet: Eam ob rem apertis legationibus Beneficiariorum Ecclesiæ, ab Alfonso Atestino Ferrariensium Duce initio facto, animos sollicitabat. Quem cùm sibi adversum, ac Ludovico Galliarum Regi devinctum offendisset, contractis copiis, Duce Francisco Marchione Moralvâ, ac undique armorum illato terrore, Mutinam non tàm victricibus armis expugnatam, quàm ingentibus promissis oppugnatam recepit. Ceterùm Principis Alfonsi desertoribus Mutinensibus, pro perfidiæ præmio, annuente Pontifice, Misericordiæ opulentum Cœnobium prædæ cessit. Qui tanquam belli opimum spolium Monasterium armati invadunt, direptísque omnibus, immeritos Monachos expulêre, ac quasi pannosos homines justo prælio dimicando vicissent; bellico jure usi, sacros Numini census in publicas tabulas retulerunt. Omninò imbellis perfidia est, quæ cùm decora non audeat, ad illicita se convertit effrenis.

Misericordiæ opulento Monasterio Cistercienses immeritò spoliantur, & indè expelluntur.

Inter hæc præliantem Julium, lenta quidem, sed pertinax febris exhausit: erupitque tandem bonis omnibus exspe-

Mors Julii Secundi Summi Pontificis, cui Leo Decimus succedit.

exſpectatum, ac fœlix, fauſtumque X. Leonis ævum. Ad quem, cùm ejus jampridèm exploratâ clementiâ, Hetruſcoque nomine fiſi, de acceptis injuriis à Mutinenſibus Septimiani, ſervato ordine juris, appellaſſent, præter ſpem, minùs clementem Leonem experti ſunt. Retulit enim ſupplicibus, Julium quidem, Mutinæ potiundæ causâ, ejus Monaſterii largitionem feciſſe, ſe verò ejuſdem conſervandæ causâ Mutinenſibus iterùm adjudicare. Adeò non ſemper verum eſt, initia principatûs lenia eſſe, cùm præſertim novum Principem imminuendi Imperii timor exagitat.

Principatûs initia non ſemper lenia ſunt.

Nec cùm Septimianis clementiùs, Clemens VII. ſe geſſit: ille, qui gentilis Leonis, poſt Hadrianum Pontificem ſedit. Niſi quòd eâ de re majori lenitatis ſpecie ſtatuere viſus eſt, quòd redivivam litem paſſus ſit orbitæ judiciariæ Rotæ iterùm ſubjici. Cucurrit illa aliquandiù Illuſtriſſimo impellente Rangonio; ſed neſcio quo pacto ab inſtituto deſtitit curſu, cum idem Rangonius Ciſtercienſium Protector renunciatus fuiſſet.

Paulò melioris fortunæ exitum Ferrarienſe S. Bartholomæi Cœnobium tulit, dum inter Alfonſum, Juliumque bellum exitiale calêret. Cùm enim Alfonſi milites vicinos Ferrariæ campos tuerentur in armis, ac Pontificiis plerúnque prementibus, laborarent annonâ, fama tenuit à Ciſtercienſi Abbate nobili, ac generoſo viro, ingenti frumenti vi in gratiam Ducis non ſemel fuiſſe adjutos. Exarſit ſcilicet ad nuntium Pontifex, exſecratuſque homines, qui eccleſiaſtico ſumtu profanum militem in ſe, ſuoſque armaſſent, nullâ ad exprimendum verum accuratiori habitâ quæſtione, ſed adhuc præ irâ exæſtuante animo, opimis redditibus, vulgato diplomate, ſpoliat, adeò tenui, ſordidáque mensâ, ut vocant, inauditis relictâ, ut ægrè vitam toleraturi viderentur. Habent hoc prorsùs invidioſæ opes, ut vecordes mortalium adu-

Gravia invidioſarum opum incommoda.

rant

rant oculos, faciles accuſatores inveniant, implacabilemque cupido Judici commoveant iram. Non deſponderunt animum Septimiani, quos belli neceſſitas, militariſque vis à perfidiæ ſcelere ſatis poterant vindicare. Itaque defuncto Julio, candidâ innocentiâ fiſi, ex jure reclamant, favitque reclamantibus per ea tempora haud injuſtum tribunal; ſi tamen hactenùs inventi eſſent, qui repreſſis non profuturis querelis, juſtitiam promoviſſent ad victoriam. Jacemus adhuc nomine tenùs tantæ cauſæ victores, noſtriſque opibus ſublevati victi triumphant, continentique ſerie Commendatariis Commendatarii ſuccedentes conſuetudine dominandi, jus omne recuperandi amiſſa, Ciſtercienſibus ademerunt; quos cum juriſprudentiæ conſultis ſubſelliis bonitas ipſa cauſæ, veros, juſtoſque dominos proclamaverat. Profuit autem humilis fortuna depoſitis: ex eo enim adeò ſe exacuit Hetruſca frugalitas, ut quod reliquum erat, indigna paſſis Domino benedicente, mirabiliter videatur auxiſſe.

Maximus Aretinus Monachus Septimianus pietatis, ac variæ eruditionis laude commendatur.

Interim re, & nomine Maximus Aretinus Monachus Septimianus morte deſæviente ſubtrahitur: vir tùm Latinè, tùm Græcè doctiſſimus, quique, quà naturæ, quà divinæ gratiæ ob rariſſimas dotes, publico civitatis Florentiæ conſenſu pro ſancto habitus eſt. Certè in illâ afflictæ, depoſitæque civitatis continenti, fœdáque tempeſtate rerum, civium fortunas haud in totum perituras fluctuaſſe, Maximi precibus ſapientiores referebant acceptum. Nullus, ac Maximus magis homines devitavit, nullumque magis, ac Maximum expetivêre mortales. Juvabat omnes ad ſe adeuntes; deſolatos mirificè ſolabatur, adverſâ fortunâ fractos, dejectoſque cùm monitorum ope, tùm precibus erigebat. Ubi affuiſſet, ita omnes tanti viri tacitâ quâdam religione perfundebantur, ac ſi ſanctioris vitæ ſuaviſſimus odor à mortalibus ſenſibili hauſtu perciperetur. Quoàd vixit, ita civiles, privataſque

causas rogatus optimis ſalivit, condivitque conſiliis, ac ſi, ubi aſſiduè verſabatur, eadem attuliſſet è cœlo. Cum exitu, ea, quæ natæ rei adhibuiſſet, ita conſentanea erant, ut diceres, prophetaſſe magis, quàm conſuliſſe prudenter. Demùm Florentina civitas, quamdiù ex illius prudentiæ momentis pependit, nutare fortaſſe potuit, cadere nequaquàm potuit. Hujus itaque in ſenium vergente ætate, cùm aliquando ſævientis morbi impetui non ſuffeciſſent vires, in Ciſtello noſtri Ordinis illuſtri Cœnobio diem clauſit extremum. Altiſſimum tunc concubiæ noctis ſilentium erat, cùm incerto autore totâ urbe trepidus rumor cœpit vagari Maximum Monachum abiiſſe ad ſuperos. Nec adhuc incerta lux proditura diei præluſerat, cùm penè omnes quaſi lymphati domo egreſſi, beati hominis inanime corpus certatim veneraturì ad Ciſtellum pergebant. Illùc promiſcui ſexus ingens examen, quibus haud ſatis erat pulſare fores, niſi etiam vim benè firmatis afferrent. Apparebat inconditum vulgus intempeſtivè invaſurum in corpus; illudque præpoſterâ pietate diſcerpturum; ni prudenti conſilio furens temeritas eluderetur. Apertis ergò foribus irruente multitudine templum complent; ſimulantque cadaveri calenti aquâ, de more, detrahere maculas, curare funus, ceteramque feralem pompam exquiſitiùs apparare. Dumque eâ expectatione diſtinent vulgus, jam curatum cadaver in ſemitariam conductam lecticam ſimulato ſarcinæ nomine in Septimum devehendum, furtim attollunt. Intereà dilatâ, ſuſpensâque ſpe vulgus marcebat; deditâque operâ, à Monachis in amœniſſimos Monaſterii hortos penetrandi factâ facultate, intentior ejus Maximum videndi cura aliarum rerum contemplatione ſenſim languere cœpit. Indè multi ultrò dilapſi, alios jam adulta dies, perſtrepenſque forum ad negotia traxit, ignobiliori parti, quæ reliqua erat, edictum, jam populi impetui clàm, & prudenter

In celeberrimo Monaſterio Ciſtelli Florentiæ diem claudit extremum Maximus Aretinus, de quo mira, fama publica refert.

ter subtractum fuisse corpus; irent porrò quò vellent. Prudens commentum, opportunumque etsi felix eventus exceperat, primoribus tamen civitatis non perindè arrisit. Irritatos tamen animos lenivit dies, Maximique corpus intereà in communi Monachorum Ossuario effossa terra contexit. Haud tamen clari viri famam humile conditorium obscurasse videtur. Quin adeò apud nos superioris seculi viri memoria suavis est, ut Maximi nomini etiam nunc omnes venerabundi assurgant. Ipsi inanimes, aliquando furentis Arni, ac per latam, explicatamque planitiem hibernis imbribus gravis sese evolventis vortices locum ipsum, ubi conditus Maximus est, subvereri videntur. Rariùs enim ex eo in Septimianum Cœnobium, impetu facto, incurrunt; aut si contingat eò aliquantisper accedere, quantùm cedentis, fluxæque subruerit terræ, tantùm præpinguis advehit limi, ut largiùs illata damna compenset. Sanè in Maximo nil mihi magis mirandum videtur, quàm quòd nullius adhuc scriptoris decoratus encomiis; nullâ spectabiliori sepulcrali pompâ elatus; denique semoto in claustro à puero innutritus, disciplinisque severissimè cultus, obliviosæ ceteróquin posteritati ad hanc usque diem nunquàm excidere potuerit. Quæ res facit, ut piè suspicer, tantum virum de illorum numero esse, quorum nomina melioribus notis liber ille vitæ inscripta habet, qui surdam mortalitatem occulto illapsu subindè admonens, eos immemori mente præterire non sinit, quos ad imitandum, ceteris mortalibus Deus indulsisse videtur.

Florebat per idem fermè tempus Johannes Medices Magnifici Laurentii filius, ac Pontifici Innocentio propinquâ affinitate conjunctus, qui ab eodem posteà purpurâ condecoratus est: deindè ad Pontificiam Sedem subvectus Leo X. est appellatus. Hic cum Prothonotarius Apostolicus Monasterium Morimundi commendatum

 habe-

haberet, inaudissetque malè audire Monachos, qui illic commorabantur, placuit viro ad omne præclarum facinus paratissimo experiri, an per Septimianos Monachos, ut olim Insubres Claræyallenses, possent ad meliorem frugem traduci. Præerat tunc Septimo Marcus Granaccius notissimæ probitatis Monachus, qui Salvium, ac Nicolaum cum delectis viris rei gerendæ aptissimis in gratiam Johannis Medices, imperantisque Innocentii VIII. Mediolanum transmisit: quibus in hæc verba, eam provinciam Pontifex demandabat. *Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei &c.* ac paucis interjectis: *Discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ad præfatum Monasterium de Morimundo personaliter accedentes, & solum Deum præ oculis habentes, Monasterium ipsum de Morimundo, ac in eo degentes Priorem, & Monachos auctoritate nostrâ visitetis & quæ reformatione, & emendatione ibidem indigere reperietis, reformetis, & emendetis; necnon statuatis, & ordinetis quòd in eodem Monasterio de Morimundo de cetero perpetuis futuris temporibus vigere debeat regularis observantia dicti Ordinis; item ritus, & mores laudabiles eorundem Monachorum dictæ Congregationis S. Bernardi;* multaque alia magnificis, splendidisque verbis subjungit, in quibus census pro victu, vestituque statuitur: continenturque pœnæ, præmia, adhortationesque paternæ curæ plenissimæ, quo hujusmodi vitæ genus, qui corrigendi erant, libentiùs amplecterentur; deterrenturque ecclesiasticæ vindictæ telo, si secùs faciant.

Septimiani Monachi à Summo Pontifice ad reformandum Mediolanense Morimundi Monasterium eliguntur.

Ceterùm ne qua exsequendæ rei injiceretur mora, Medices Ducis Mediolani consensum adhibuit, qui honestissimæ causæ favens, delectis ejus reformationis procuratoribus in hæc verba præcepit: *Venerabilibus in Christo DD. Primicerio Mediolanensi, & Paulo de Regnis Præposito &c. Dux Mediolani &c.*

Mediolanensium Dux, Johannis Cardinalis Medices egregiâ operâ, se Septimianis Monachis Morimundi Reformatoribus fautorem præstat & adjutorem.

Ve-

Venerabilis in Christo nobis dilectus Reverendissimus in Christo Pater D. Johannes de Medicis S. R. E. Cardinalis & Commendator Abbatiæ, seu Monasterii Sanctæ Mariæ de Morimundo Cisterciensis Ordinis Mediolanensis Diœcesis, morem præclarum sequutus, & institutum familiare gentis, nihil magis cupere, & curare videtur, quàm ut quæ ad Religionem, & ad divinum cultum pertinent, ubi suâ interest, per Sacerdotes idoneos, eosdemque probos, & sanctos viros administrentur. Quo nihil magis pium, & majori dignum laude agere potest: ejus precibus motus Summus Pontifex utrique vestrum curam delegavit reformandi, & reducendi ad observantiam Monasterium prædictum, & introducendi Monachos Monasterii de Septimo Florentinæ Diœcesis Congregationis S. Bernardi ejusdem Ordinis, vitæ sanctimoniâ celebre nomen adeptos, qui ceteros Monachos regularem observantiam facere nolentes in eo Monasterio ritibus, & moribus suis instruant, sicut latiùs constat literis, sive Bullis Sanctitatis suæ, datis Romæ apud S. Petrum, Idibus Januarii præsentis anni. Quæ res nobis quoque non potest non grata esse: tùm quia ad Dei laudem, & gloriam spectat, cujus nos studiosi sumus, tùm quòd vobis demandata est, à quibus omnia rectè, prudenter, & maturè transactum iri non dubitamus. Quare vos hortamur, & oneramus, ut quæ ejus Sanctitas vobis injunxit, ea omni studio, ac diligentiâ exsequi, & adimplere curetis; & ita agatis, ut quemadmodùm omnibus in rebus semper fecistis, laudem, & commendationem indè relaturi sitis: & si qui ex Monachis dicti Monasterii Morimundi ad observantiam redigi nollent, operam dabitis, ut cùm eis piè, humanè, & moderatè agatur, itaut nulla eis debita querelæ causa relinquatur, sicut nos pro prudentiâ, & bonitate vestrâ facturos nobis persuademus. Papiæ. Die 26. Maji M.CCCCXCI. Quibus fulti literis, ubi Mediola-

lanum pervenerunt Septimiani eandem Morimundianis Monachis causam exstitisse lapsûs reperiebant, ac Insubribus Clarævallensibus. Nempè solitudo illa, quæ olim ad pietatis studium exacuebat claustro conclusos, devios, palatosque, ut in omne licentiùs proruerent scelus vehementiùs accendebat. Hinc, quæ voluptatibus inserviret, gliscere pecuniæ amor; sensim unicujusque marsupium peculiare; quod erat communis juris exhaurire sacrilegè: indè vitiorum monstra, indè nefariæ licentiæ probra prominere ad nauseam. Exhorruerunt in primis Septimianorum nomen vecordes; ipsorumque demùm aspectu ità territi sunt, ut antequàm stringeretur correctionis ferrum per summam desidiam fugam meditarentur. Erant enim tùm Septimiani severissimi omnium, qui Deo famularentur: quippe qui & horrentem vestium cultum usurparent, & illorum parabilis cibus esset, mensaque vel ad sterilitatem usque frugalis. Tametsi autem comiter, & amanter omnem adhibuissent humanitatem ut propemodùm perditos lucrarentur, ipsi tamen quò liberaliùs habebantur, eo magis sibi cavebant, ne purioris observantiæ compedes, ut, ipsi arbitrabantur, injicerentur incautis. Salvius autem vir navus, & prudens, ad eam enervatam vivendi rationem consternatis multa salutariter nihilominùs ingerebat, quò persuaderet deceptis, virtutem amabilem esse, eidemque ab iniquis rerum æstimatoribus injuriâ, vel austeritatis, vel morositatis nomen imponi.

Teterrimæ causæ lapsus Monachorum Mediolanensium Morimundi.

Quid enim, inquiebat, *dulcius esse potest, quàm secundùm rectam rationem vitam traducere? Virtus læta est, ubi progreditur, ubi etiam suis progressionibus usa, ad summum provecta fuerit, seipsâ quoque contenta. At vitium undique pungit, ferit, dilacerat animum; sævamque conscientiam divexando subindè ad atrociora succendit. Denique destructor animæ est, transfuga rationis, prædo virtutum, malè morigeratorum tormentum, vitæ*

Virtutis, vitiique dispares admodùm dotes.

vitæ labes, ac sordes: Si quando autem delectare videtur, imponit incautis, philtroque consuetudinis dementat, quo minùs sentiatur incommodum. Angitur, non nego, primùm qui contranititur sensibus: nam ex Domini verbis stricta via est, quæ ducit ad vitam; atque ex sensuum titillatione conscelerati lætantur, cùm lata via sit, quæ ducit ad perditionem: *sed si utrorumque exitus pensetur ex fine, & si tristi sanè commutatione latam illam viam oppidò difficilem experiuntur, quippè qui jure, & meritò apud Sapientem querantur alicubi*: Ambulavimus vias difficiles: *illis verò stricta illa, angustaque, lata, explicataque evadet, cum illorum personam sustinens glorietur Propheta*. Viam mandatorum tuorum cucurri, cùm dilatasti cor meum. Quam ob rem obnixè monebat, ut ejurato errore sensuum ad unam reginam rationem maturè, judicatóque appellarent, quæ in neutram partem flexibilis irrefragabilem hujusmodi de re posset proferre sententiam. Hæc, & iis similia Salvius ingerendo effecit, ut ex omni numero, quatuor omninò suæ saluti maximè consultum vellent: ceteri consuetudine victi, certáque pecuniæ summâ quotannis pro victu à Septimianis pendendâ contenti, seorsùm, atque diversi, hoc est extrà claustrum miserrimam vitam tolerârunt.

Ceterùm Septimiani à cœptâ reformatione post decem, non minùs annos, multarum difficultatum victores recepti Monasterii possessionem iniérunt anno MDI. nováque Monachorum, cûm iis, qui remanserant inductâ coloniâ, locum perpurgârunt, & mores. Ei autem felicitati ex parte videtur cumulus defuisse, cùm quos lucratum venerant ab officio propemodùm fratrum cernerent abiisse.

Interim è vivis excesserat Innocentius, quique in ejus locum suffectus est Alexander VI. non modò præfatam reformationem ratam habuit, verùm etiam Johanne Me-

Medice deprecante, nobili, amploque diplomate fovit, cavitque ſub interminatorio religionis telo, ne qua introductis gravior aliquando lis intentaretur; nevè bona ſivè mobilia, ſivè immobilia, ut vocant, alicujus exactioni, poteſtatique ſubjicerentur; quin Priori pro tempore ea omnia contulit ornamenta, quæ Abbatiali titulo inſignitum viderentur decere. Adeò Septimianorum ſanctimoniæ odor undequaque diffuſus in ſui favorem omnes conſpirare coegerat!

Alexander VI. Summus Pontifex Morimundi Priori pro tempore, universa Abbatis tribuit ornamenta.

Sed jam non abs re fuerit perilluſtris Cœnobii recenſere initia, Fundatorumque liberalitatem extollere, quorum fortunis uſque ad hæc noſtra tempora mirabiliter crevit. Ticinum nobili piſcatu, aureis arenis, undarumque perſpicuitate celebre Inſubriæ Flumen eſt, quod ſuam è S. Gothardi montibus, qui olim ſummæ Alpes fuêre, originem trahens, lunato mæandro per Leventinam vallem, illime, vitroque lucidius in Verbanum Lacum devolvitur. Cujus medium in longitudinem rapidiſſimo curſu interſecans cùm deſidibus hìnc indè undis quaſi impetu facto dedignatur miſceri. Indéque turbinato exitu inter Aronam, Angleriamque erumpens ingenti aquarum vi ditaturum Padum decurrit. Ceterùm totum terræ tractum, quem alluit inter Viglebanum, Abbiatumque, Ticini vallem Sigonius de Regno Italiæ appellat. Hâc ergo in valle, Morimundi Cœnobium tertio ab Abbiato milliario ſitum eſt, itáque ad occidentem ſolem inſanâ murorum ſtructurâ inſidet imæ valli, ut ceteram ſpectabiliorem ædificii partem prominens ſupercilium valli ad orientem ſolem excipiat, oſtentetque ſuperbiùs. Templum peramplum eſt, coctoque laterculo ad æternitatem firmatum. Cujus exterioris ſtructuræ tanta pulchritudo eſt, tanta connexio, ut, marmoris Parii deſectas, perpolitaſque cruſtas ſpectator non lividus haud deſiderare poſſe videatur. Intùs prææalti fornices, quorum deorſùm

Morimundi Monaſterii Mediolanenſis primordia deſcribuntur: brevis hiſtoria texitur.

sùm turbinatè coëuntia extrema lateritiæ prægrandes columnæ suffulciunt, atque intervallo decenti dispositæ efficiunt, ut triplicis ordinis inversâ navi pavimentum omne superbè tegatur. Ab arâ maximâ usque ad occidentalem portam sensìm, atque clementer solum omne se ità declinat, ut in subjectam vallem lætissimus prospectus pateat contuentibus. Privatìm operaturis sacella quatuor ex more Ordinis, quæ altari maximo dextrâ, leváque junguntur, perangustum præbent ingressum. Ad medium dextri fornicis progredientibus ad portam, fornicatum, depictumque sacellum occurrit, liberalitate Innocentii Pinii Florentini Morimundi quondam Abbatis constructum, atque ad propitiandum Numen, Deiparæ Virgini consecratum. Hujus ego aliquando Virginis præsentissimam opem sensi. Cùm enim in eo Monasterio quadraginta & novem natus annos Monachus privatus degerem, ex limosâ aquâ, crassiorique alimento concepto morbo, cœpi prægrandi calculo laborare. Cúmque me passìm mortiferi urgerent dolores, in utrumque paratus, lætissimè ancipitis, plenæque angoribus vitæ jeci aleam; Franciscumque Cappellium Papiensem nobilem Chirurgum subivi. Secuit ille severè, sed prosperè, itaut propemodùm cùm morte confligens illud Hieronymi mecum ipse pervolverem; *Medici, quos vocant Chirurgicos, crudeles putantur, & miseri sunt*. Illigatoque, mirantibus cunctis, duos prægrandes lapides detraxit, postque triginta fermè dies vulnere coëunte convalui. Sed vix intrà cubiculi fines cœperam explicare gressus, cum, qui fortè fortunâ remanserat, orificio virgæ intùs se opponente calculo, ægrè reddebam urinam. Ingemui scilicet post tantos sectionis dolores me non convaluisse sincerè. Ergò adii Virginem, vicemque meam solitariis lacrymis, internoque clamore sum cum illâ conquestus. Quid plura? Non me pœnituit fletûs. In thalamum namque re-

Morimundo Mediolanensi degens Autor Deiparæ beneficio è gravissimæ infirmitatis periculis divinitùs eximitur.

Aa gres-

greſſum altior ſomnus oppreſſit: mox incredibili copiâ perurgente urinæ expergefactus ſurrexi, interque mejendum ad parvæ ſiliquæ magnitudinem calculum egeſſi feliciter, nec deincèps ſum tali morbo tentatus. O Virgo utinam, tanti periculi memor, neque immemor beneficii, jam ſenex quinquagenarius, & eo amplius factus, ſic ſemper, & ubique vivam, & ultimam quamque lucem tanquam non rediturȧm conſumam!

Progredientes è choro ſcala haud multiplicibus gradibus ardua in dormitorium, ut vocant, perducit. Haud ibi exquiſitè vetus Architectonica, quicquid occurrerit, molita videtur. Nec ſecùs ſi ad imas ædificii partes te contuleris. Niſi quod jure mirantur omnes tam inſanam molem lateritiis ſubnixam columnis in eâ iniquitate loci citrà vitium pro tempore, tamdiù perdurare potuiſſe. Siquid autem novam Architecturam ſapit, noſtris Septimianis acceptum referendum eſt: atque in iis præcipuè numero Julianum Pallarcionium, Innocentium Pinium, Antoninum Curradum, ac Euſebium Sarrinium. Quorum poſtremus Sarrinius in gratiam ſtudioſorum Bibliothecam etiam optimis libris refertam erexit, propriique martis non temnendis monumentis ornavit. Siquidem viſuntur in ea Angelidos libri tres; piorum item carminum liber unus; quibus adjecit varii argumenti exquiſita poemata.

Morimundi Mediolanenſe Monaſterium Juliano Pallarcionio Innocentio Pinio, Antonio Currado, & Euſebio Sarrinio Septimianis Monachis plurimùm debet.

Hoc igitur tàm celebre Monaſterium Ciſtercienſes Monachi Galli è Francico Morimundo digreſſi, poſt triginta annos à condito Ordine exædificârunt, atque ex ejus Cœnobii nomine, undè exceſſerant, Morimundum dixère. Homines quippe uni divinarum rerum dediti contemplationi ſterilia non horruerunt ſalicta, non circumſtantium nemorum deſidem aërem, non undequáque ad alendam orizam ſtudioſo ductu ſtagnantes aquas. Malebant enim cum virtutum progreſſu ex inſalubri aëre variis mor-

Galli Monachi Ciſtercienſes, iique probatiſſimæ ſanctitatis Morimundi Mediolanenſis fundatores.

morbis tentari, quàm vegeto, ſanoque corpore declinare ad vitia. Neque dubitaverim, Regum Gallorum, ac Italorum Principum opibus olìm Morimundum creviſſe. Certè conſtat Acciajoliam gentem, (cujus aliquando non ignobilis pars, factionum cogentibus ſtudiis, digreſſa Florentiâ, Mediolanum nobilitatura, ſub Ferrariorum nomine in Inſubriâ ſedem fixit,) ad id operis ingentes divitias contuliſſe. Erat enim ea gens aliquando domi, foriſque præpotens, ac opulenta, quæque in Græciâ olim, atque Athenis nobilitata Regibus, atque Principibus latè imperitârit. Acciajolia familia laudatur.

Quando verò ejus Monaſterii ſub Commendatariis interciderint opes, obſcura, incertaque fama eſt: neque nos ejus rei quæſitio valdè ſollicitos habuit, quippe qui noveramus, potentiorum inhiante, inſidianteque cupidine, non ita diù in Ciſtercienſi Ordine permanſiſſe. Nobis ſat ſit narraſſe, ſub Medice Johanne, avitâ liberalitate viro præclaro, perantiquum Ciſtercienſis Ordinis Septimianos recepiſſe, perpurgâſſeque Cœnobium, ac multo poſt, hoc eſt, noſtrâ propemodùm memoriâ, titulo Abbatiali, quem Pius IIII. ſolemni diplomate ſuppreſſerat; cùm Morimundianas opes majori Mediolani Xenodochio pro ſuâ pietate in pauperes addiceret, attribueretque; inſignitos fuiſſe.

In idem ferè tempus incidit, aut certè non multo poſt, reſtauratio ad puriores mores S. Ambroſii Majoris Mediolanenſis, ut in IIII. libro in tranſcurſu tetigimus. Cùm enim Aſcanius Sfortia Cardinalis, Princeps, præter ceteras laudes, verè magnanimus, Commendatarius ejus Cœnobii, ſex indè Monachos nigros inſigniter exleges expuliſſet; ibidemque ex Claravalle, hoc eſt, ex iis, quos nuper precibus, & operâ Mariæ Blancæ Vicecomitis Sfortiæ, illius, inquam cujus connubio Inſubre Imperium ad Sfortianos devolutum eſt, Mediolani Duciſſæ,

Monaſterium Mediolanenſe S. Ambroſii Majoris reformatur à Clarævallenſibus Septimianis Monachis operâ Aſcanii Sfortiæ Cardinalis, cujus eximia Ciſtercienſibus collata beneficia breviter perſtringuntur.

Aſcaniique matris, Septimiani reformaverant, novamque coloniam, duce noſtro Placido induxiſſet, adeò præclaro operi, ſuccedentique feliciter adjutrices porrexit manus, ut cùm ſponte opulentâ ſanè Commendâ ſe abdicaſſet, quæ florenos, ut tunc vocabant, mille quingentos expleret: etiam ad bis mille, ut pietas faciliùs promoveretur liberaliſſimè auxerit de ſuo. Eam munificam Aſcanii ceſſionem, ſplendido diplomate Alexander VI. ratam habuit, atque laudavit, attributumque Ciſtercienſibus Cœnobium Clarævalli eâ lege conjunxit, ut qui in uno Monaſterio Monachum induiſſet, alterius etiam cenſeretur alumnus: nigro prætereà uterentur cucullo: Ambroſiano ritu divinum penſum perſolverent, atque litarent: triginta duo, non minùs Monachi Dei opus urgerent: certam pecuniæ ſummam nubilibus dotandis puellis, pauperibus ſublevandis, redimendiſque captivis, quotannis inſumerent: jus viſitandi, corrigendi penes Aſcanium eſſet. Indè celebris Inſubræ Ciſtercienſis Congregationis gliſcens initium. Cùm enim hìnc Aſcanii Principis gravis juvaret autoritas; indè Septimianorum in diſciplinâ monaſticâ adhuc profectus teperent, adeò celeris, mirabiliſque ad pietatem curſus factus eſt apud Mediolanenſes, ut intrà ſpatium viginti quinque fermè annorum, quæ regiâ liberalitate latè per Inſubriam fundata erant, Clarævallenſibus Septimianorum alumnis Cœnobia ceſſerint. Quorum pro tempore acceſſiones, cum propriis Monaſteriorum nominibus ſuis reddemus temporibus, cùm Septimianum exemplar novis quamplurimis adauctum rebus expoliemus.

Jam decimus tertius vertebatur annus, ex quo res Ciſtercienſis per Hetruriam primùm, perque Ciſalpinam Galliam poſteà mirificè cœperat propagari. Jamque numerabantur notæ opulentiæ quamplurima recepta Cœnobia, cum eos, qui ſedebant ad clavum amor, curaque

inceſſit in unum coëundi. Siquidem pervidebant fore ex eâ animorum conſenſione ut maxima firmitudo, ac propèmodum æternitas quædam vix dùm inchoatis rebus accederet: tùm ſuccurrebat, quàm virtus unita facilè adverſa quæque perrumpat; quàmque quaſi in orbem collecta ſeſe valentiùs tueatur: ſuadebat deindè amor, non debere eos, vel levi alienatæ voluntatis ſigno disjungi, quos ſub iiſdem legibus unius Dei cultus, idemque vitæ inſtitutum junxiſſet. Præterea haud vana conjectura erat magis rem ſucceſſuram feliciter, ſi eódem omnium dirigerentur conatus, quàm ſi rem urgerent, diverſi. Poſtremò ſibi videbantur modeſtiæ litaturi, ſi correctores Hetruſcos eâ animorum conſpiratione tanquàm certiſſimi amoris teſſerâ perpetuò coluiſſent.

Cauſæ, quibus ad Congregationem conſlandam Ciſtercienſes Itali moti ſunt.

Hæc, inquam, tàm honeſta commoda, neque omninò irritæ ſpei quamquam deliberaturis affulgerent; diuturnior tamen in deliberando cunctatio fuit, reputantibus ſub eodem plerunque cœlo pugnare mores, atque in diverſa abire, nedùm eorum diſſentire voluntates, quos natura invicem objectis montibus ſeparaſſet, plus æquo diffuſum, ut ferè in corporibus evenit, obſervantiæ calorem tepeſcere: peregrinam ubertatem, & copiam, virtutum nervos elidere: remque Septimianam tandiù ſummâ cum laude ſtetiſſe, quamdiù unius Monaſterii parietes uni vitæ perfectioni intentos Monachos concluſiſſent: neque verò tàm multitudine, quàm animorum puritate definiri, qui in contemplatrice vitâ ſperarentur progreſsus: demùm æquè duos, tres, finge pauciores ſi potes, ac mille, & eo ampliùs cœleſtis Numinis gratiam promereri, ſi ritè cœtus inirent.

Itaque cùm rem totam anceps adhuc Superiorum conſilium excuteret, divexaretque, inclinaturæ jamjamque parti ob ſummam autoritatem poſtulantium in unam, eamdemque publicæ rei conſenſionem, Tobiæ Baronii Mor-

Tobiæ Baronii Mormorarii Abbatis Septimiani plenâ moderationis prudentiâ, Cistercienses omnes Itali, demtis quidem Neapolitanis & Siculis in unum coëunt.

Mormorarii nobilis Florentini ob virtutes egregias ab anno MCCCCXCIIII. usque ad annum MCCCCXCVI. jam tertiò Septimiani Abbatis prudentiæ pondus accessit, evicitque tandem, ut alacriter omnes Italici nominis Cistercienses (si unos Neapolitanos, Siculosque excipias) conspirarent in unum. Hic cùm ex amplâ domo præclaros spiritus attulisset in claustrum, atque ex cultu pietatis perpolisset in dies, ità de publicâ Cisterciensi re sentiebat, ut quæ ad severioris disciplinæ institutum spectare viderentur, ità foveret, ut etiam cum dignitate, cumque decoro conjungeret. Itaque suâ sententiâ juvit, qui Hetruscos, atque Longobardos salubriter coituros arbitrabantur. Etsi enim deessent cetera, quæ suprà commemoravimus, illud unum affirmabat deesse non posse, quòd eâ vivendi ratione, Gallis Cisterciensium rerum dominis Manlianum illud in Ordinem universum imperium aliquâ ex parte decideret. Ità enim Galli per id tempus toti Ordini imperitabant, ut cum Generalem, ut vocant, eligendi jus apud se mordicùs retinerent, ab eáque electione ceteras nobilissimas gentes excluderent, nihilominùs tamen ceteras nationes Gallicum volebant subire imperium, eoque pervicaciæ quandoque processerant, ut privatis, incognitis, sordidisque hominibus dignitates conferrent, reciperent transfugas, absolutos, indemnesque in odium eorum, quos deseruissent, remitterent; Superiores amoverent, ut libuisset, cetera omnia, vel absentes, imperitique morum, hoc est, cœci, cœcorumque rectores administrarent.

Galli Cistercienses juris electionis Abbatis Generalis mordicùs retinentissimi.

Mentior, si adhuc apud nos non exstant Alexandri VI. Juliique II. Summorum Pontificum amplissima diplomata, qui eam rationem publicam rem administrandi, & detestantur, & prohibent. Prementibus itaque Gallis, Hetruscos, Insubresque faciliùs obstituturos contendebat Tobias, si unius cœtûs homines censerentur. Salutare placitum, ut tunc quidem videbatur, cum penè omnes

omnes amplexati fuiſſent,autoritate Pontificis cenſuerunt firmandum : idque ut faciliùs, ac luculentiùs impetrarent, Ludovicum Sfortiam Mediolanenſium Principem apud VI. Alexandrum per ea tempora gratioſum adhibuerunt deprecatorem. Non recuſavit Sfortia juvare ſupplices, eóque impenſiùs fecit, quò evocatorum peregrinorum in Italiam armorum jam eum pœnituiſſe conſtabat. Cùm enim commutatâ voluntate, cum pleriſque Italiæ Principibus in Carolum VIII. Neapolitanum jam Regnum adeptum perfidioſo animo conſpiraſſet, ac propemodùm ſociatis armis victorem Regem fudiſſent ad Tarum, anxius deindè animi eſſe cœpit, ne elapſo feliciter Carolo, cumque amplioribus copiis ad ulciſcendas injurias redituro, temerè deſerti fœderis cogeretur dare pœnas. Quam ob rem eos maximè demereri ſtudebat, qui incenſis ad Deum precibus, Numinis, iratique victoris impendentem vindictam poſſent avertere.

Ludovico Sfortiâ Mediolanenſium Principe rem Ciſtercienſium Italorum apud Alexandrum VI. urgente, Congregatio S. Bernardi, autoritate Pontificiâ, primùm in Italiâ formatur.

Nunquam enim majora, aut ſplendidiora in Ciſtercienſem Ordinem Sfortia Ludovicus contulit ornamenta, quàm cum Gallicis armis Italia tota perſtreperet. Ergo cum in Ludovici gratiam ab Alexandro in eam rem peramplum dimanaſſet diploma, Hetruſci, atque Inſubres ſub nomine unius Congregationis S. Bernardi in Italiâ, tùm primùm, quod benè verteret, coierunt. In eo autem præcipuè ea animorum ſub certis legibus conſpiratio verſabatur, ut Comitium unum omnium eſſet, quotannis & crearentur, & ſupprimerentur Magiſtratus: utque de eligendo Diſcreto, ſocioque Prælati eaſdem omnes, omni fraude ſeclusâ, leges ſubirent: itèm qui unius eſſet, omnium Monaſteriorum filius haberetur: ceterùm autoritas ſumma penès Diffinitores erat: haud tamen eorum autoritate fulti ultrà continens triennium poterant Prælati in eodem Monaſterio eadem munia exercere. Et ſi autem ad annum Præſes Diffinitorum ex

Congregationis Ciſtercienſis Sancti Bernardi primigeniæ leges.

præ-

præſcripto legis autoritatem æquaret; prohibebatur tamen Monachum de loco in locum transferre, graviaque, & quæ longioris conſultationis eſſent, atque momenti aggredi, niſi graviſſimus Viſitatorum acceſſiſſet conſenſus. Hæc & ſimilia, quæ conſenſionem illam decerent, ibi ſanciebantur, quæ quoniam brevì uſus ipſe morum evertit, hìc ſtrictìm, & parcè placuit recenſere.

Laudatur Auguſtinus Infangatus Monachus Septimianus.

Intereà in Septimo illuſtris fama extulerat Auguſtinum Infangatum nobilem Florentinum, qui præter generis claritatem, adeò monaſticis virtutibus claruit, ut haud videatur indignus, quem inter noſtri Ordinis viros illuſtres recenſeamus. Hic in primis ſilentii, ac ſolitariæ cellæ cultor eximius, nonnulla in eo ſanctiori ſeceſſu literis mandavit, ne in totum hominum noſtrorum memoria diſperiret. Si qua autem ex Galliis, Hiſpaniiſque mira, virtuteſque noſtrorum afferebantur, excipiebat ipſe calamo, commendabatque quali quali denique ſtylo poterat, ætaſque ferebat, æternitati; ut grata poſteritas in aliquem uſum ſuum poſſet aliquando convertere. Inſcripſit autem Chronicon benè geſtorum Monachorum Ciſtercienſium ex originali à ſe exaratum Angelo Blondo olim Septimiano Abbati, quem citrà fucum collaudans priſcis illis patribus confert, ac comparat, ejuſdemque in pauperes beneficentiam ita extollit, ut dicat tanti viri famam non apud Italos tantùm, ſed apud exteros, ac ferè à noſtro cœlo remotos conſtantiſſimè ſe extendiſſe. Auguſtino certè ingentes habendæ gratiæ ſunt, quòd ſuâ illâ qualicunque ſcriptione huic noſtro prælusit labori, aperuitque ita viam ſcribenti, ut deincèps verendum non fuerit, ne in medio curſu noſtra hæc abrumperetur hiſtoria. Ceterùm huic noſtro auguror eveniſſe, quod multis de rebus geſtis Sanctorum ſcriptoribus accidiſſe conſtans memoria tradit. Qui cùm aliorum virtutes ſtylo revolverent, proderentque poſteritati, ſenſìm, quas ipſi

ipsi tractabant, imbiberunt virtutes, illosque imitatione sunt propiùs consecuti, quos scriptione in cœlum tollebant. Sic Symeon Metaphrastes exornando Sanctos, sanctus evasit: sic Bernardo non parùm profuit, Malachiæ vitam scripsisse: sic ex Martini vitâ, quam edidit Severus Sulpitius sanctimoniam hausit: sic denique Bonaventura, tantus Doctor, cum recenseret facta Francisci, se sanctiorem evasisse persensit. Nempe in Augustino nostro implacabile in vitia odium; ergà virtutes verò incredibilis amor ardebat. Illius moderationem æmulabatur; hujus prudentiam ad usum vitæ transferebat utiliter; omnium autem virtutes attentissimâ meditatione suspiciebat, ut vel affectu complecteretur, quod non pertingebat conatus. Denique Infangatus hic noster per omnem vitæ cursum ita se gessit, ut cognominis admonitu nil magis videatur egisse, quàm ut omni cœno, labeque vitiorum careret.

Interim quingentesimus suprà millesimum à partu Virginis annus inibat cursum: hoc est, aureum illud, faustumque seculum tandem illuxit, quod, sivè laudem spectes ingenii, sivè fulmina belli desideres, sivè operarum cujuscunque artis felicem progressum requiras; non tàm tulisse, quàm extrà numerum ingentia effudisse decora possit videri. In quibus non defuêre etiam apud nostros Cistercienses viri, feminæque insigni pietate præstantes, quæ ejus initia aliquo prædicando facinore nobilitarent. Tametsi autem de Septimianis rebus semel instituta narratio haud sinat nos per nobilissimas Christiani Orbis Provincias liberiùs divagari, ut indè rei quam dicimus plura ex nostro Ordine proferamus exempla: unum tamen ex Iberiâ è medio scriptionis cursu, ut ad se divertat, interpellat scribentem, quod nostras has paginas jejuniùs variegatas cœlesti sanè risu possit complere. Fatemur, Septimi non erit fetus: ad Ordinem tamen Cisterciensem

ſpectabit, cujus maximum incrementum eſt Septimum.

Toleti ergo ſub ejuſdem fermè anni initium Conſtantia Borroſa virgo clariſſima, atque ad S. Clementis Monialium Ciſtercienſium mater, abiit lætabunda ad Sponſum. Hæc cùm à puellâ clauſtrum coluiſſet, & cellam, eò vitæ purioris devenerat, ut Angelis ipſis videretur ſimillima. Inter cetera autem contemplatricis vitæ munia, orandi ſtudio ſuaviſſimè rapiebatur, itaut totum animum cœlum, terra verò inanime corpus habere videretur. Cujus continenti, aſſiduoque uſu, adeò Chriſto Deo familiaris evaſerat, ut vices illas amorum, quas ſacra Scriptura in Canticis arcano ſermone commemorat, feliciſſimè pateretur. Modò namque invitabat ad oſcula Sponſum, modò, ut reditus fierent jucundiores, compellebat ad fugam: præſentem complectebatur acrioribus brachiorum nodis; abſentem verò ſuſpiriis provocabat. Si frequens aderat, lætabatur; ſi cunctaretur, moras incuſabat amantis: modò ſolitario ſe paſcebat dolore; modò hilarior facta floridas, olenteſque cum Sponſo prodibat ad vineas. Non dies, non nox, non ſecretum, non forum, quo minùs quæreret Sponſum, amanti poterant injicere moras. Per hoſtes, per vulnera, perque ſuæ ſortis indigna, interrita pergebat ad Sponſum. Quicquid egerat, amor erat, quicquid penſitaverat, cura ejuſdem amoris erat. Denique ſic ſemper, & ubique amabat, ut magis factis quàm linguâ dicere videretur: *Quia amore langueo*. Accidit autem aliquando, ut ex divino congreſſu facta calentior, in hæc ſummæ confidentiæ verba prorumperet: *Cur bone Jeſu, qui olim Deus Jacob vocaberis, modo Deus Conſtantiæ Sponſæ tuæ non diceris*? Vix illa finierat, cum ſensìm oborta lux cubiculo, ubi procubuerat orans, diſcuſſit caliginem, atque inacceſſibilis lucis medius affuit ipſe, quem compellabat amanter. Ex quo cum rursùs diſſimulando quæreret, quiſnam eſ-

Conſtantiæ Borroſæ clariſſimæ Virginis Ciſtercienſis Toletanæ præcipua donorum Cœleſtium, ac virtutum inſignia referuntur.

ſet,

ſet, aut undè tàm ſpecioſus veniſſet? Virginis in amando delectatus ardore, retulit ſe reſurrectionis quidem gloriâ conveſtitum Deum Conſtantiæ eſſe, qui olìm vix angulo Judeæ notus, Deus Jacob vocari gaudebat. Ex eo miris, portentiſque clara, non multò poſt è vitâ diſceſſit, cujus apud Deum gradum gratiæ potiorem adhuc incorruptum corpus oſtentat.

Ex noſtris autem tunc quidem regebat Septimum Andreas Pictius magnarum virtutum vir, ac primariæ Florentinæ nobilitatis decus, in quo haud facilè cerneres, an major nobilitatis ſplendor ineſſet, an cumulatoria honeſtamenta virtutum: niſi quod utrunque ità vivendo conjunxerat, ut & nobilitatem virtus extolleret, & virtutem nobilitas exornaret. Ceteros, qui ſecuturam illuſtrium virorum ſeriem expleturi narrantur, odorabuntur boni Ciſtercienſes meliori illo ſeculo omninò non fuiſſe indignos, quod vel in colendâ pietate ſuperârint ſeipſos, vel dexteritate agendi profuerint alienæ ſaluti, vel ingenii laude præſtantes æquaverint peritiores.

Andreas Pictius Prælatus Septimianus nobilitate, ac virtutibus conſpicuus.

Interìm fœderis divulgatum diploma variè Inſubres, Hetruſcoſque affecit. Etſi enim ex conſenſu partium dimanaverat à Pontifice, in futurum tamen eventum (ut plerùmque vel in ipſo portu fluctuant mortalium res) omnium cogitationes ſuſpendit. Lætabantur enim plerique adveniſſe tempus, quo omni ſublato diſſidio, cor illud unum, & anima una Italis Ciſtercienſibus reſtitueretur; tùm arridebat ditioris, ampliorisque cœtus ſplendidum nomen; juvabat deindè multitudine firmiores cenſeri; erat præterea ſpes, fore ut illa diverſarum nationum permixtio proprii amoris excuteret vitia, acueret ad virtutem. At verò quos diuturnior experientia rerum exercuerat, ii admodum lentè, trepidéque hanc lætitiam percipiebant, quippe qui arbitrarentur vaniſſimè res ſpecioſo ex nomine penſari, ubi ex eventu penderent: quam

ob rem expectandum fore putabant, donèc quasi collatis signis utriusque partis vota, suffragiaque Comitium unum confunderet; indè enim facilè omnes intellecturos quam diuturnitatem consensio illa animorum polliceretur, quàmque præstaret securam. Et quidem haud vana visi sunt præsagire; cum enim primùm ad Comitia coiissent; utrînque (ut pleraque rerum exordia lanoso gressu procedunt) utrînque, inquàm, lenissimè est actum. Siquidem omnium habitâ ratione, ea sanxêrunt, quæ utrìque parti maximè viderentur salubria. At secundo congressu minuta plebs in diversa Monasteria sensìm spargi est cœpta; illudque fiebat, ut nullum unius gentis Cœnobium haberet alumnos, sivè ut altera pars ad alterius normam morum disceret exigere vitam, sivè ut suspecti invicem ægriùs vergerent in conspirationem. Ut verò tertiò contulêre suffragia, Comitialiumque voluntates quasi ad cribrum vocatæ sunt; tùm demùm apparuit, quàm raro sincera fides sit, ubi regnandi cupido semel mentes corruperit. Quid enim illa non tentet, non moliatur, atque in omnem se partem versando non tandem efficiat? Si minùs procedat, quod velit, omni ejurato pudore, sursùm deorsùm miscet omnia, ut saltèm pertinaciter agendo videatur fuisse invicta.

Rarò sincera fides, ubi regnandi cupido semel mentes veneno ambitionis infecit.

FINIS LIBRI QUINTI.

NI-



NICOLAI BACCETII

FLORENTINI

Ex Ordine Cistercienſi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ

LIBER VI.



DECURRERANT ab hujùſmodi condito fœdere vix quatuor anni, cùm diſcordiæ ſemen diploma illud ſocietatis fuiſſe, experientiæ dux ac magiſter eventus edocuit. Siquidem primò moribus, quos hauſerant è diverſo cœlo, diſſidere cœpêrunt; mox ex diverſitate morum, ſensìm concepto odio, in deteriorem partem omnia trahere, tùm invidiâ ſubdente faces, acriùs invicem inſectari; dein impoſita munia obire languidiùs; queri liberiùs, quicquid communis juris eſſet, non æquâ lance penſari: denique ex domeſtico luxu, Inſubrum ſuperante potentiâ, ita omnia queſtibus Monachorum perſtrepere, ut Pontifex Alexander non majori

jori ardore animi olim vocârit ad fœdus, quam semel fœdere junctos præcalidis Pontificiis literis dissociaverit. Protegebat adhuc Insubres Ascanius Maria Sfortia, Thusci vero Francisco S. Eustachii Cardinali gravissimo parébant: rem autem Septimianam administrabat ad annum Marcus Granaccius vir nobilis, ac pius, cujus suprà alicubì meminimus, quique in missione illâ Claravallensi haud laudem tulerat mediocrem. Hic ergò ut Præpositi partes ageret, eam Thuscorum Monachorum consternationem cum Cardinali Francisco ita conquestus est, ut diceret, indignum sibi videri sub nomine consensionis, ac fœderis publicam salutem, atque tranquillitatem prodi, denuntiabatque libero ore omniá certissimè dilapsura discordiâ, quæ olim summis conatibus, curisque ingentibus concordia collegisset: tempusque illud propemodùm advenisse dolebat, quod sanè graves curas olim injecisset Apostolis ipsis, cum quasi Christo diviso, quidam gloriarentur: *Ego quidem sum Pauli, ego autem Cephæ; ego verò Apollo; hactenùsque unâ tranquillitate, paceque animorum claustra stetisse*, fœdissimè verò lapsa, ubi cœpisset dissolvi. Proindè si tempore Apostolorum cum adhùc Christi sanguis caleret, tantum impedimenti mensarum ministerium verbo Dei attulit vacaturis, quantum timeri debere tepidis, ac torpentibus exitii discordiam allaturam? Parùm prodesse, addebat, quæsivisse solitudinem, maléque devovisse frequentiam, si in ipso secessu animi diffiderent, alienatæque voluntates in mutuam perniciem digladiarentur: omninò præstare corporibus procul esse, animorum verò consensione conjungi. Demùm ubi pax exulet, quicunque cœtus coeat, eum potiùs censeri debere dicebat, intestini belli seminarium, odii fomitem, discordiarum facem, quàm ad communem quietem salubriter institutum perfugium: ceterùm ut violentis morbis, violenta, acerrimaque remedia adhibere solemus; sic ejus-

ejuſmodi malum ſævâ ſanè ſerpigine creſcens acerrimo, præſentique remedio cenſebat eſſe tollendum. Etenim ſi quatuor annorum tantula mora tantas turbas potuit commovere; quid putandum eſt, facturam fuiſſe ejus fœderis diuturnitatem?

Quâ ſanè gravi, juſtâque querelâ Granaccius Cardinalem Franciſcum itâ commovit, ut nullâ injectâ morâ in gratiam Septimianorum Alexandrum Pontificem ad priores literas antiquandas nullo negotio traxerit. Itâ autem percuſſum anteà fœdus Alexander convellit: *Nos qui cunctorum Religioſorum paci, & quieti quantùm cum Deo poſſumus, libenter conſulimus, Protectorum ſupplicationibus inclinati, literas noſtras Thuſciæ, & Lombardiæ Provinciarum, ac congregationem, unionem, annexionem, & incorporationem, ac ex illis ſic invicem unitis congregationem Monaſteriorum, Locorum, Abbatum, Prælatorum, & Conventuum dicti Ordinis in Thuſcia, & Lombardiæ Provinciis prædictis exſiſtentem S.Bernardi in Italiâ, hujuſmodi congregationem, necnon omnia & ſingula ſtatuta, decreta, & ordinationes in dictis noſtris literis contenta, autoritate Apoſtolicâ tenore præſentium revocamus, caſſamus, & annullamus, ac viribus vacuamus; ipſamque Congregationem S. Bernardi in Italiâ diſſolvimus, ac quamlibet earumdem Congregationum, quoad Monaſteria, Loca, Monachos, & perſonas, privilegia, & indulta, quæcunque etiam quoad Monaſteriorum, & locorum quorumlibet uniones eis reſpectivè factas, in priſtinum, & eum, in quo ante unionem, annexionem, & incorporationem per nos factas hujuſmodi quomodolibet exiſtebant, ſtatum reſtituimus, reponimus, & plenariè reintegramus, non obſtantibus literis noſtris, & aliis præmiſſis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac omnibus illis, quæ in dictis literis noſtris voluimus non obſtare, ceteriſque contrariis. Nulli*

Italica Ciſtercienſium Sancti Bernardi Congregatio, autoritate Pontificiâ diſſolvitur.

Nulli ergò &c. Undè facilè apparet, ità Hetruſcorum, Inſubrumque vix coeuntem ſocietatem ob bonum pacis diſſolviſſe Alexandrum, ut improſperi eventûs in morum diſparitatem culpâ rejectâ, priorique revocato diſſidio, præter veſtium cultum, communeque vivendi inſtitutum nullum, nullumque prorsùs commercii veſtigium, inter eos relinqui voluerit. Salubre quidem pro tempore inventum, ſed quod religioſum ſtatum minùs decere videatur. Quis enim ignoret, vinculum perfectionis eſſe charitatem illam, quæ ſine diſcrimine amat; quæ ſimplici oculo omnes contuetur; quæ non tàm ſua quærit, quàm quæ Jeſu Chriſti; quæ ſuſtinet omnia; quæ quidvis potiùs patitur, quàm diviſionem illam ſubire; hácque, inquam, omni conſanguinitate tanquam potentiori vinculo illorum voluntates colligatas eſſe oportere, quibus incumbit ſervire Deo humero uno?

Charitatis genuinus character.

At quando proprius amor, errorque ſenſuum in eas anguſtias charitatem conjecit, ut vel ſolos conſanguineos amet, vel ad eos, qui ſub uno cœlo coaliti ſunt, extendatur; haud me pœnitebit dixiſſe, quemlibet cœtum præſtare ex unius provinciæ hominibus coaleſcere, nulláque peregrinitate morum miſceri, ut tranquillè agatur: Si ſecùs accidat, videmus indè anxias ſuſpiciones oriri: mox ſuarum quemque rerum nimis ſuperſtitioſam divexare cautelam, tùm partes implacabile odium committere: poſteà verò ancipitem contentionem ità ſuſpenſos animos habere, ut quam ſemel in clauſtro profeſſi ſunt, Chriſtianæ demiſſionis oblivio ſubeat. Atque utinàm feciſſet Deus, ut quantùm Septimiani Hetruſci per Inſubriam olìm Ciſtercienſem rem protulêre, tantundem in Hetruriâ acquiſiviſſent; profectò, nec me vana conjectura fallit, & publicam rem firmiorem hoc tempore haberemus, & minùs frequenter, murmur illud Græcorum, quod malè olim ipſos Apoſtolos habuit, perſonaret in clauſtris.

ſtris. Pudor eſt dicere, non ità pridèm exſtitiſſe quoſdam, qui rem monaſticam, quâ ſanctius nihil priſci Patres excogitârunt, politicis fraudibus conarentur fœdare, itàut penſatis nationibus, magis quàm meritis, trepida munera regendi alios, ut natio quælibet ex ſuis aliquem veneraretur ut ducem, perpetuò adminiſtranda demandarentur indignis. At cùm induimus cucullum, cúmque radente novaculâ, caput nudavimus per illa externa ſigna oſtendimus nos carnem, & ſanguinem exuiſſe. Cur iterùm illa contrà ſpiritum rediviva pertinacia inſurgit, feralem belli facem debacchando ſuccendit, obarmat ad rixas, ſtimulat odiis, compellit ad injurias? Scilicèt charitas illa refrixit, quæ ſua paulò antè ut vile ſtercus generosè calcaverat, ut Chriſtum ipſum omni theſauro ditiorem acquireret. Et mirabimur adhuc tàm ſancto abrupto vinculo nos abiiſſe in partes, dilabique in pejus, itàut ſanctioris vitæ ſuccifis poplitibus, totum religioſi ſtatûs corpus enervetur, & cadat? Sed ad inſtitutam redeamus narrationem.

Externa, quæ in Monachis proſpiciuntur ſigna, eos carnem & ſanguinem exuiſſe, aut exuere debuiſſe demonſtrat.

Intereà cùm Alexander VI. vitam cum morte commutaſſet; ei, poſt Pium III. Senenſem, Julius II. ſuffectus eſt. Huic luxatum, ſeu veriùs ſub Alexandro diſſectum Ciſtercienſium Italicorum corpus haudquaquàm arriſit. Apparebat enim, eam ſivè ſciſſuram, ſivè ſeverius inflictum vulnus, ſinceriorem olìm partem tracturum, niſi præſentiſſimum adhiberetur remedium. Idèmque ſentiebat, ferebatque indignè Angelus Blondus, qui per id tempus Septimianam rem regendam ſuſceperat; qui cùm rem totam maturiùs conſideraſſet, cenſuit per Cardinalem Protectorem deferendam Pontifici, ut aliqua ſaltem media iniretur ratio, quâ unius corporis tam fœdè diſcerpta membra, iterùm coirent ad valetudinem. Inter cetera autem, quæ cauſæ videbantur adjumento futura, hæc ferè vehementiùs inculcabat; faciliùs videlicèt unius

capitis in se membra præceptorum derivare influxus, ubi iisdem legibus juncta invicem conspirassent; sensim verò corrumpi, ac dilabi, si discindi contigisset dissidio: neque verò interim se metiri animorum consensum ex earumdem ædium usu, sed ex legum potiùs communione, ac similitudine studiorum; ac proindè eas leges in posterum ferendas esse censebat, quæ conjungerent animos, impermixtam domicilii decernerent consuetudinem, utrique verò parti ità caveri oportere, ne alteram alterius potentia superet, nevè suprà leges imperet acerbiùs. Id si statueretur, pollicebatur futurum, ut pax rediret, nitêrent mores, monastica disciplina vigêret, omnesque lætabundi ex animo amplecterentur fœdus. Quid plura? valuit consilium senis, & sapientis, & providi, totaque res ad Julium delata, post diuturnam deliberationem ità constituta est, ut ex eo iisdem legibus ad hanc usque diem summâ animi consensione conjuncti utamur. Volebant enim, quæ in eam rem dimanârunt Pontificiæ literæ, ut Comitium unum omnium esset; alternatìmque modò in hâc, modò in illâ Provinciâ haberentur consessus, quorum subsellia secretiora quatuordecim idest septem ex utrâque parte Diffinitores, ut vocant, explêrent; Præsidem anni ex utrâque Provinciâ electuri per vices. Denique sanctè, strictéque cavebant, ne quis Monachus unius Provinciæ in alteram demigraret, nisi vel ex gratiâ jussus, vel ex demerito relegatus. His itaque legibus constitutis, inter Hetruscos, atque Insubres aurea pax visa est rediisse, cum interìm domicilio, consuetudineque utriusque Provinciæ Monachi haud permiscerentur, conjungerentur autem ejusdem disciplinæ instituto, eorumdemque ad virtutem similitudine studiorum.

Jamque post Julium, Leo sederat, cœperantque, residentibus bellis, mirificè excoli artes, splendidissimi Principis unâ munificentiâ provocante: adeóut nec pietati

tati addicti homines in ſuo munere, æmulâ virtute trahente per id tempus viderentur ceſſare. Clarebat tum in Epiſcopis nobilitate, ac eruditione Johannes Matthæus Sertorius Mutinenſis S. Severinæ Archiepiſcopus, ac S. Sylveſtri Nonantulæ Commendatarius. Quem cùm opulenti proventus Cardinalibus ipſis æquarent, in eo etiam maximè conniti videbatur, ut in ampliori Dei cultu provehendo nulli ſecundus haberetur. Itaque cùm ſecum ipſe verſaret animo, quàm olim nobile S. Sylveſtri fuiſſet Monaſterium, quantamque Monachorum multitudinem aluiſſet; atque ad quem gradum, Præpoſitos, qui illud regebant, evexiſſet; itáut Italiæ Regum filiis, qui Deo forent vovendi, honoris ſæpiùs, atque proventûs gratia deſtinaretur, legarenturque ejuſdem loci Abbates pro Chriſtianâ Religione uſque ad orientem ſolem, ut trepidis legationibus fungerentur: hæc, inquam, cùm animo verſaret Sertorius; ac, ſi non ex toto priſtinæ Monaſterii gloriæ renovandæ, at ſaltem monaſticæ diſciplinæ aliquâ ex parte reſtituendæ præclaras coqueret curas; ad Septimianos, quos ex felicioribus anteactis progreſſibus idoneos homines judicabat, per quos nobili Cœnobio ſuum qualecùnque decus rediret, adjecit animum. Adiit itaque Leonem, eumque in eam rem non modò pronum, facilemque eſt nactus, verumetiàm ità egregiè animatum, ut ſpectatæ virtutis homines, ſibique ex Morimundianâ miſſione maximè notos impensè laudaret, affirmaretque rem bellè ſucceſſuram, ſi pergeret. Nec mora, rem perurſit Sertorius, & jam ut res ad effectum ſpectaret, Septimianorum exprimebatur conſenſus. Accidit autem, ut eum annum Antonii Albici præfectura nobilitaret, qui cùm eam miſſionem non improbaret, in eo tamen ſuſpenſus hærebat, quòd paucioribus alendis Monachis tenuior cenſus videretur offerri. *Et non diſplicet*, inquiebat, *Ordinem Ciſtercienſem proferri, ſed modum, quo ſa-*

Sententioſiſſima, ac religioſiſſima Antonii Albici Prælati Septimiani verba.

ſalubriter proferatur, hàc vice fortaſsè cogor deſiderare. Non enim, ut arbitrantur plerique, religioſa obſervantia vigor extenſione, ſed quâdam potiùs, ut ità dicam, multitudinis intenſione confovetur, & creſcit. Etenim cùm rem, non ſecùs ac in bello milites, in clauſtris agamus, quippe qui colluctemur non modò adversùs carnem, & ſanguinem; ſed etiam adverſus rectores tenebrarum harum contrà ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: modò è re militari exemplum petere fortaſsè præſtabit. Itaque mecum intuemini exercitum ſivè ex recenti, ſivè ex veteri diſciplinà ad dimicandum paratum, quàm ex præſcriptis ordinibus ſpectabilis eſt, quàm undèquàque juſtum circumfert terrorem! Iterùm fingite, milites deſertis ordinibus ad prædam hàc illàcque diſcurrere, vel ex multiplici irruptione diduci in partes, nil illà confuſione fœdius erit, nil illà diviſione infirmius, & quæ impetui hoſtium minùs par eſſe poſſit. At qui nos ſumus, ſi noſtram illam nobilem conditionem agnoſcamus, quos Spiritus ille divinus in Canticis terribili, ordinataque aciei caſtrorum componit & confert, Terribilis, *cum inquit,* ut caſtrorum acies ordinata. *Quibus in verbis multitudinem advertite, cùm,* Caſtrorum, *inquit: iterùm inſpicite ordinem, cùm expreſſis verbis*, ordinatam, *appellat: colligite demùm mixtam ordini multitudinem, atque ex utriuſque rei pulchrà mixturà, terrorem, cùm abſoluto encomio Sponſam ut inexpugnabilem Sponſus collaudat*, Terribilis, *inquiens*, ut caſtrorum acies ordinata. *Quæ quidem ſic explicata acies nos admonere videtur, ut confertis ordinibus, conjunctoque impetu collatis ſignis, rem peragamus: ne pauciores, & quaſi in pluribus, tenuioribuſque Cœnobiis ad vilem prædam diſperſos, palatoſque ex improviſo hoſtes adoriantur, turpiter fundant, trucident crudeliter. Quò mea jam ſpectet oratio, certè periti rerum non poterunt ignorare. Hanc trans Scultemnam amnem*

Se-

Septimianorum missionem tenuiori censu provocatam, ut plurimùm Monachi decem explebunt. Qui siquid in piis mentibus nobilis institutio poterit, se à cetero Monachorum cœtu divulsos primùm mirabuntur, atque horrebunt: mox ubi munia Ordinis ritè velle cœperint administrare, illum quidem absorbebit domestica cura; hunc verò rerum externarum procuratio distrahet; ad quisquilias alius devolutus extra culinam vix poterit exerere caput: reliquos, una divinarum rerum contemplatio, haud admodùm ferventer incendet, itàut singulis singuli sint impares futuri muneribus, omniaque simul munera omnium sint superatura conatus. Hinc tantis curis minoribus, nullum erit sanctum silentium; statarum ad Deum precum plerùmque tempora invertent; corporum castigationes ultrò susceptas, indictaque ex regulâ jejunia languor eludet, studiumque contemplatricis vitæ sensìm frigescet; atque ad varia munera palati, dispersique patebunt injuriæ, suosque transgressi ordines hostibus facilè cedent, jugumque vitiorum accipient. Adeò magni momenti est, ut quis in cœtu multorum vivat, atque ad virtutem colendam multiplici propellatur exemplo. Hæc igitur sunt, quæ mihi justum timorem faciunt, itàque reddunt sollicitum, ut huic mittendæ coloniæ haud pleno ore arrideam. Vos si aliter sentitis, sapienter decernite quid facto sit opus. Impensè me lætaturum recipio, si senis suspicionem, erroris eventus coarguat, illisque gratulaturum hanc mentem, qui ad commune commodum secùs senserint, tulerintque in adversæ partis favorem suffragia.

Dixerat Antonius, ac tametsi quamplures, viri sententiam pleno adorarent consensu, pars tamen major, censuit Pontifici, Sertorioque dandum quod postulârunt. Quamvis sequuta tempora abundè probârint, haud vana vaticinatum sapientissimum senem, cùm etiàm nunc læti-

feram

feram moribus inflictam plagam graviſſimos viros ex illâ miſſione querentes, non ſine lacrymis exaudiamus. Ex eo enim peſſimum inolevit exemplum tenuiora recipiendi Monaſteria, ſordida, commendata, diſtracta, & quæ tot Monachis vix aliquando ſufficere poſſe videntur, qui divinum penſum commodè perſolvere queant. Indè pluſquam corruptelæ morum: horarias præcipitare preces, commiſſationem jucundiùs trahere: divagari liberiùs; otioſis ſermonibus, ac luſione plerùmque fallere tempus; frangere ſtata jejunia; mollioribus indulgere plumis: omnia denique poſthabere, ne quid privatis commodis detrahatur. Quæ ſanè clauſtri mala nullus erat, qui indè profectura non auſpicaretur, niſi fortè qui in uſu rerum adeò hoſpes eſſet, ut ignoraret, malè omninò cum illis agi, qui extrà illam ſociorum frequentiam exulant, cujus ut juſti judicis ſalubriter oculos vereri poterant, ne plus æquo auderent. Juſſi itaque Septimiani Nonantulanum S. Sylveſtri Monaſterium anno MDXIIII. primâ die Martii recepêrunt, atque Ciſtercienſem cooptârunt in Ordinem, iis potiſſimùm legibus, ut latifundio ſeorsùm fundato, ſeparatam à Commendatario Monachi menſam, ut vocant, pleno jure, perpetuòque obtinerent: nullum Abbati jus eſſet in Monachos, ſed tantùm Priori, quem Hetruſca Congregatio ad annum ad id loci legâret, præficeretque: quæ verò piè legarentur Cœnobio, inferrenturque in templi capſulam, quæ piorum eleemoſinis ſuſcipiendis proſtat, citrà litem Monachis ipſis cenſerentur ceſſiſſe. Qui decem omninò, ut die, noctuque nigro cucullo induti, ibi numen propitiarent, deſtinabantur; tùm plures etiam, ſi amplioribus fortunis ad eos alendos, contigiſſet augeri. Prætereà pro Sertorio, grati animi ergo annuæ Ciſtercienſibus imperabantur inferiæ, Pontificio interminante decreto, immemores de acquiſito jure caſuros, nî quotannis Benefactoris feciſſent ex voto. Denique

Johanne Matthæo Sertorio Mutinenſi, Sanctæ Severinæ Archiepiſcopo rem acriùs promovente, Septimianis Monachis Nonantulanum S. Sylveſtri Cœnobium, cujus Commendatarius erat, à Summo Pontifice confertur.

ea

ea omnia Monachis indulgebantur, ut ecclesiastico cultui, alendisque antè altare facibus possent sufficere. Hoc illud celebre Monasterium est, de quo in suâ historiâ de Regno Italiæ ita Sigonius: *Anselmus Abbas Fanani alterum Mutinensibus in campis locum trans Scultemnam amnem nomine Nonantula legit, eumque Monachorum manibus asperis sentibus perpurgatum, altero ibi condito Monasterio decoravit. Indè ipsius Regis permissu Romam profectus sacram à Pontifice cucullam, baculumque accepit, & S.Sylvestri corpus impetratum eò deportavit. Id Monasterium magnis post Regum muneribus, ac possessionibus auctum, Monachorum suprà mille multitudine, prædiorum numero, ac jurium amplitudine inter omnia Italiæ fuit clarissimum.* Hactenùs Sigonius. Quam quidem fortunarum jacturam nostri hoc tempore æquiore animo arbitrantur ferendam, quòd septem Sanctorum integris corporibus, frustoque prægrandi salutiferæ Crucis, in quâ suffixus Christus ad necem usque pependit, quasi commutatis opibus, adhùc ditatur Cœnobium, quibus, si quam aliquando ex egestate patiantur, molestiam possint levare. Ceterùm ædificium, quod visitur adhùc, haud luculentus satis testis videtur priscæ illius magnitudinis, atque nobilitatis, quòd sævientibus per Italiam bellis, bis, tervè ex exustione excidium passum, ad pristinam sui gloriam reparandi spem omnem ademerit posteritati.

Sigonii observanda verba de Monasterio Nonantulano.

Hic autem Antonius Albicus Septimi Abbas, sub quo nobilissimum Monasterium receptum est, hic ille est, qui eruditionis, ac nobilitatis gloriâ Septimianos Monachos suo tempore illustravit. Siquidèm tùm sacrarum, tùm humanarum literarum studia adeptus, ità omnes conatus suos ad unam excolendam virtutem contulerat, ut quo literarum studia dirigi oporteret abundè monstraret. In iis coluit quàm maximè percalluitque Astronomicam; non

Antonii Albici Abbatis Septimiani luculentum elogium.

non quòd ad Genethliacorum divinationem ridiculè declinaret, sed ut ex ſyderum diſpoſitione, ac pulchritudine, ſtatum, immutatumque vitæ ordinem ſibi perſcriberet, addiſceretque ex orbium cœleſtium irrequietâ converſione, nunquàm ſivè in actuoſæ, ſivè contemplatricis vitæ muneribus obeundis ſibi eſſe ceſſandum, ni vellet retrò compelli. Quamquam & publicæ utilitati aliquandò hoc Albici Antonii ſtudium conduxerit plurimùm. Cum enim poſt Julium Cæſarem, à Patribus Nicæni Concilii emendata ratio temporum ità ad hæc uſque noſtra tempora lapſa eſſet, ut non tam currere, quàm prodigioſo flexu annus videretur inverti, ad ejus correctionem, ut erat gloriæ avidus, Leo X. exarſit, propoſitiſque præmiis, decóra excitavit ingenia, quæ eò conatus omnes conferrent, ut tempora felici, idoneoque curſu quotannis reveherent ſacra, neque tàm fœdè annus eundo exerraret. Ut verò ad id ſtudii Leo claſſicum cecinit, volârunt ex omnibus propèmodùm Orbis partibus luculenta, doctaque Mathematicorum ſcripta, computationes, quæ intrà leges legitimi decurſûs annum ſeveriſſimè coërcerent. Nec tacuit noſter Antonius, quin computando, ità rem propiùs eſt aſſecutus, ut cùm poſteà Antonianam hanc anni correctionem, cùm nuperâ Gregorianâ quidam haud inſulſus calculator conferret, minimùm diſcriminis inter utramque repererit. Apparebat enim per ea tempora ad Leonem undequáque perlata doctorum hominum ſcripta Gregorianæ poſteà magno adjumento fuiſſe. Et quidem haud dubito, noſtrum Antonium ſuam anni correctionem Romam miſiſſe, cùm ipſe eam in Septimo legerim cum hâc præfixâ epiſtolâ ad Nicolaum Creſcium noſtri Ordinis virum egregium familiarem Leonis in hæc ferè verba: *NICOLÆ CRESCI. S.*

Quin ipſe Romam veniam jàmjàmque Lateranenſi Concilio coëunti interfuturus, & ſæpè tentata prohibet va-

valetudo, & qui me jam propiùs pulsat septuagesimus tertius annus. Castigatum tamen à me annum, & ipse castigatus ab annis, per te Pontifici post oscula pedum beatorum deferendum transmitto. Si & obsequio senis & munere lætatum videris; munusculo addes & verba, scilicèt cum bonis omnibus & sapientibus me quoque exhorruisse dubium errare solem, totumque quandòque immiscuisse annum: ideòque dedisse me operam, ut ad sacri ritùs libellam reveheret dies, sub tanto præsertìm Principe, cujus virtutibus, munificentiàque factum est, ut aurei prisci seculi mores redirent. Vale mi Cresci.

Ceterùm quod volebat, non est assecutus Leo. Cùm enim mulierosus Apostata Martinus Lutherus in Germaniâ impietatis extulisset vexillum; ut Ecclesiæ antiqua sacra convelleret: Pontificem in eam curam intentum, ut par erat, graviores distraxêrunt curæ, ut serpenti scilicèt hæresis malo opportunè occurreret. Itaque post Julium II. Lateranensi resumto Concilio, cum Lutheranam causam scriptis, dictisque clarissimi jugulassent Theologi, diris ecclesiasticis obstrictum, à cœtu fidelium perhorrescendo vindictæ telo submôvit; deviusque anni cursus usque ad Gregorii XIII. tempora perduravit; qui meliori otio, & æquioribus Reipublicæ temporibus doctissimorum virorum studio, conatuque novam temporum rationem induxit, quâ, post Niceni Concilii Patres nil potuisse fieri absolutius omnes docti fatentur.

Decessit autem noster Antonius anno MDXXXII. decôre senectæ venerabilis, meritisque præcipuus, ac Septimianâ præfecturâ summâ cum laude ter functus: cujus tanta dignitas oris fuisse narratur, ut virum repentè dignum literis, dignum moribus, dignum nobilitate suâ prodere videretur. Huic coævus floruit Marinus Septimianus Monachus, vir in lectione Patrum apprimè versatus, è quorum purissimis fontibus tantùm hauserat pie- Marinus Septimianus Monachus in lectione Patrum versatissimus.

 tatis,

tatis, tantùm purioris eloquii, ut quicquid egiſſet, dixiſſetque, priſcorum illorum Patrum diſcipulus perpolitus è ſcholâ videretur prodire. Hunc profanam lectionem habuiſſe procul haud ambigo; cùm jam indè ea opinio inoleviſſet in clauſtris, profanam ſcilicèt eruditionem ſuis aſſeclis officere magis, quàm prodeſſe; quicquid verò, vel ad animi cultum, vel ad vitæ uſum videretur ſpectare, id totum puriùs, uberiùſque divinis eminere in literis, ſinceriùſque è priſcis Patribus peti poſſe, quàm è profanis ſcriptoribus hauriri. Itaque ut SS.Patres ſedulò verſabat Marinus, ſic illorum ſpiritum largiùs biberat. Stylus, quem ſcriptioni ferè adhibuit, ab eruditiſſimi illius ſeculi eloquentiâ haud longè aberat: quin amœnis ſalibus, floſculiſque, quæ ſcriberet, inſpergebat. Quamquàm extrà ea, quæ divinum cultum reſpicerent, nunquàm viſus ſit calamum extuliſſe.

Tardiùs, rariùſque, ingruentibus bellis, qui divinas laudes continerent, jam tranſalpina præla precarios codices emittebant; ac ſi qui ad Italos perveniſſent, ita ſcatebant mendis, barbaricéque inflexis caracteribus confundebantur, ut vel ægrè, vel maximâ cùm nauſeâ legerentur. At Marinus, qui in unâ Dei laude ſuaviſſimè conquieſcebat, in eáque, die, noctúque meditabatur; ut procederet puriùs, omnes nervos, vireſque ſuas contendebat libenter. Quam ob rem noſtri Ordinis Breviarium, ut vocant, ſqualore, ſituque jam fœdum, deterſit, reordinavit, detraxit multa, revexit non pauca, quæque ad ſanctum Evangelium commentaria legenda erant, è Sanctorum Patrum germanâ lectione ex fide depromſit, itáque quod cœperat, brevì opus abſolvit, ut nec jota unum, aut apex in tam variâ, multiplicique texturâ rerum exerrare videatur. Apud nos etiam, qui precarium codicem Marinianum fortè poſſederint, pro reliquiâ habent, opimoque antiquitatis ſpolio, tranſalpinis editionibus præferen-

Marinus Septimianus Monachus Breviarium Ordinis Ciſtercienſis eruditiſſimè emendat.

rendo. Hymnorum aliquos panxiſſe Marinum, ut credam, non me vana conjectura ducit: in eo ſi quid erro, par ſtyli ſuavitas, ſtudiumque fefellit. Ceterùm eâ Marinianâ correctione nil abſolutius fieri potuiſſet, ſi quæ rythmicâ deſinentiâ in noſtro Breviario ſordent, ac jacent, æternâ liturâ damnaſſet vir bonus. Sed verecundas ab antiquitate abſtinuit manus, ne in varios hominum ſermones incurreret. Noſtrum autem hoc doctiſſimum ſeculum vix jàm eas ſcriptionis ſordes æquo animo tulerit, cùm non tàm pietatem juvare, quàm vel mediocriter eruditis riſum movere videantur. Igitur cùm Marinus ad eccleſiaſtici cantûs elegantiam multa panxiſſet, germanæque reſtituiſſet lectioni, cantaturus æternùm in cœlo, è vitâ migravit.

Florentini, ſummo Senatûs conſenſu, Stalis Alpibus comitatûs titulum conferunt.

Per idem ferè tempus Florentini Stalis Alpes, cum ſplendidâ Septimiani juris prædiorum amplitudine ſummo Senatûs conſenſu Comitatum dixêre, atque ab omni exactione liberum fore declarârunt. Hæ Alpes Florentinorum, ac Bononienſium Imperii confinia jungunt, ibìque non ſemel de ditionis terminis, ut ſuprà meminimus, conflixêrunt utrique, ſic ut, illis minutis præliis utri viciſſent; à victis pariter, atque victoribus haud parva Septimiani acciperent detrimenta. Hujus Comitatûs titulo inſignitur Septimianus pro tempore Abbas, gaudetque libero jure, etiam poſt Hetruſcum Imperium ad Medicæos Principes feliciter translatum.

De Ciſtercienſibus Italis Gallorum querelæ.

Italis autem Ciſtercienſibus haud tranquilla res erat, poſt mortem Julii tumultuantibus, atque querentibus Gallis ſub nomine Ciſtercienſis Ordinis novum vitæ genus inoleviſſe: conſpirâſſe quamplures ſpecioſo Congregationis titulo rem contegente, ut Generalis Præpoſiti jugum excuterent: novas præter regulas, juſque Ordinis procudiſſe conſtitutiones: perpetuitatem Prælaturæ communi jure firmatam per ſummam temeritatem evertiſſe:

 deni-

denique per Oratores causarum in Curiâ, perque Regum Gallorum Legatos, apud Leonem Pontificem indignitatem rei, ut ipsi vocabant, sæpiùs conquerebantur, adeóque eâ de re Romana Aula Gallorum perstrepebat querelis, ut aliquando tandem necesse fuerit mediam aliquam rationem inire, quâ qui recesserat, iterùm Cisterciensis Ordo coiret.

Ceterùm, ut, quàm justæ, quàmque graves causæ ad eam abscissionem impulerint Julium, Italosque Cistercienses ad secessionem vocârint non imprudentes propiùs contueantur; Juliani diplomatis hîc ipsissima verba non me modò pigebit ascribere:

Julii II. diploma, in quo continentur causæ secessionis Cisterciensium Italorum à Gallis.

JULIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei &c. Romanus Pontifex ex commisso sibi desuper Apostolicæ servitutis officio circà felicem statum Ecclesiarum, & Monasteriorum, ac piorum locorum omnium ex visceribus charitatis intendens ea, per quæ Ecclesiæ, Monasteria, & Loca ipsa cum Dei honore in spiritualibus, & temporalibus salubribus proficiant incrementis, ac sublatis dissensionum, discordiarumque fomentis, & aliis contrariis quibuslibet, in eis regularis observantia, divinusque cultus inviolabiliter observetur, personæque religiosæ sub suavi Religionis jugo, in pace & quietis mansuetudine Altissimo vota reddere, & fructus in Dei Ecclesiâ proferre valeant ampliores, Christique fidelium animarum saluti consulatur; statuit & ordinat, ac alia facit, & disponit, prout, pensatis circumstantiis, universis id conspicit expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Præsidentium, & Visitatorum Congregationum S. Bernardi Thusciæ, & Lombardiæ reformatarum Cisterciensis Ordinis Nobis nuper exhibita petitio continebat; quòd licèt ipsæ Congregationes, juxtà privilegia Apostolica tàm per fæl. rec. Sixti IIII. quàm alios Romanos Pontifices prædecessores nostros ei concessa, capitulum celebrent,

&

& annuales Abbates Monasteriorum, Congregationum, & Ordinis hujusmodi eligant, ac sub regulari observantiâ cum odore bonæ famæ, exemplarique vitâ degant; tamen inter eos, & dilectum filium P. Abbatem Monasterii &c. Cistercii, & totius Ordinis præfati Generalem, ac Capitulum Generale dicti Ordinis, illorumque Officiales plurimæ dissensiones, & differentiæ in dies oriuntur: ipsique Præsidentes, & Visitatores, ac Congregationes præfatæ, quæ in communi vivunt, & Monasteria eisdem Congregationibus aggregata restaurant, & ampliant, ac illorum fructus augumentant & tàm in spiritualibus, quàm in temporalibus benè, & laudabiliter regere non cessant, & in illis divina officia majori diligentiâ, & exemplaritate vitæ, ac Christi fidelium spirituali consolatione peragunt; à Generali, & Capitulo præfatis, eorumque Officialibus, qui vitam ab eis differentem ducunt, quotidiè vexantur, qui etiam unum ex fugitivis earundem Congregationum in Abbatem perpetuum unius ex principalibus Monasteriis eorumdem promovêrunt, eique facultatem, & autoritatem visitandi dictas Congregationes concesserunt, & Monachos dictarum Congregationum, etiam fugitivos, cùm facultate plenariâ visitandi, & reformandi Congregationes hujusmodi ad illas miserunt. Ex quo ipsis Præsidentibus, & Visitatoribus valdè difficile, ac eorum statui periculosum existeret, Abbati Cisterciensi, & Capitulo præfatis in omnibus obedire, qui ipsis Præsidentibus, & Visitatoribus sunt infesti; ipsarum Congregationum Monasteria semper perturbant, & ad eorum consuetudines reducere, ut verosimiliter creditur, conarentur, in dictarum Congregationum desolationem, & animarum eorum periculum, & detrimentum. Et sicùt eadem expositio subjungebat, si statueretur, & ordinaretur, quòd Generalis Abbas Cistercii pro tempore exsistens omnia dictarum Con-

Congregationum & quatuor primi Abbates alia filiationum suarum Monasteria unà cùm Præsidentibus, vel Visitatoribus dictarum Congregationum personaliter dumtaxàt, visitare, & corrigere tàm in capitibus, quàm in membris; non tamen immutando statum, ritus, mores, & Ordinationes dictarum Congregationum, facultatem haberent. Et quoties Abbas Generalis Cistercii, & quatuor primi Abbates præfati ad Romanam Curiam accederent, in Monasteriis dictarum Congregationum honorificè reciperentur, & unà cum eorumdem familià charitativè tractarentur, & jura, seu contributiones Generali, & Capitulo prædictis occasione Monasteriorum, & aliorum locorum dictarum Congregationum ab antiquo eis debita, reciperent; nec ultrà in quibusvis actionibus Monasteria, personas, & loca Congregationis prædictæ gravari possent; sed Congregationes, & illarum Monasteria, ac utriusque sexûs personas & loca ipsa ab omni aliâ jurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, Abbatis Generalis pro tempore existentis, & Capituli Generalis, eorumdemque Officialium prorsùs & omninò eximerentur; quòdque pro tempore Diffinitores, & infrà annum Præsidentes unà cum Visitatoribus dictarum Congregationum pro tempore existentibus in Monasteriis, locis, & personis utriusque sexûs earumdem Congregationum eandem facultatem haberent, aliaque facere possent in dictis Congregationibus dumtaxàt, quæ ipse Abbas Generalis, & Capitulum Generale hujùsmodi in omnibus Monasteriis dicti Ordinis, eorumque personis, & locis universis habent & facere possent, & in futurum habebunt, & facere poterunt, concederetur: Profectò ex hoc Congregationum, illarumque Monasteriorum, & locorum salubri regimini, ac Præsidentium & Reformatorum hujùsmodi quieti, & tranquillitati salubriter consuleretur. Quare pro parte Præsidentium & Visitatorum asserentium, quòd

ferè

ferè omnibus Congregationibus sub regulari reformatione degentibus, à Sede Apostolicâ concessum exsistit, quòd proprios Præsidentes, & Visitatores habeant, qui de ipsis Congregationibus specialem curam gerant: Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenùs quod Generalis Abbas Cistercii omnium dictarum Congregationum, & quatuor primi Abbates præfati Ordinis hujusmodi, alia filiationum suarum Monasteria prædicta, unà cum Præsidentibus, vel Visitatoribus dictarum Congregationum dumxàt personaliter visitare, corrigere, & reformare possint & valeant, non tamen immutando statum, ritus, mores, & ordinationes dictarum Congregationum: & quoties Abbas Cistercii & quatuor primi Abbates præfati ad Romanam Curiam accesserint, in Monasteriis dictarum Congregationum honorificè recipiantur, & unà cum eorumdem familiâ charitativè tractentur. Qui jura, seu contributiones Generali, & Capitulo prædictis occasione Monasteriorum & aliorum locorum dictarum Congregationum ab antiquo debita recipiant, nec ultrà in quibusvis exactionibus dicta Monasteria, personæ, & loca Congregationum prædictarum gravari possint, statuere, & ordinare, necnon Congregationes S. Bernardi Thusciæ, & Lombardiæ hujusmodi, illarum Monasteria, Prioratus, & alia loca, illarumque utriusque sexûs personas ab omni aliâ, quàm in præmissis jurisdictione, superioritate, correctione, visitatione, potestate, dominio Generalis Abbatis Cistercii, & Capituli, eorumque Officialium, ac Ordinis prædictorum nunc & pro tempore exsistentium. Itaque nullam in eis jurisdictionem, aut superioritatem, vel autoritatem exercere valeant, penitùs, & omninò eximere, ac totaliter liberare, aliàsque in præmissis opportunè providere de benignitate Apostolicâ dignaremur. Nos igitur, qui Ecclesiarum, & Monasteriorum prædictorum salubre regimen in eisque divinum cul-

cultum, regularemque observantiam, & inter Religiosos pacem, & tranquillitatem vigere, Fideliumque prædictorum animarum saluti consuli supremis desideramus affectibus; ipsosque Præsidentes, & Visitatores, & eorum singulos, à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quàvis occasione, vel causâ latis, si quibus quomodolibet innodati exsistunt ad effectum præsentium dumtaxàt consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, hujùsmodi supplicationibus inclinati, quòd Pater Generalis Abbas Cistercii omnia dictarum Congregationum, & quatuor primi Abbates dicti Ordinis filiationum suarum Monasteria unà cum Præsidentibus, vel Visitatoribus dictarum Congregationum personaliter dumtaxàt, visitare, corrigere, & reformare possint, ac valeant, non tamen immutando statum, ritum, mores, & ordinationes dictarum Congregationum. Ità tamen quòd quando Pater Abbas, vel quatuor hujusmodi Abbates visitabunt, ut præfertur, alium Patrem Visitatorem, qui non de eo quod visitatur, sed alio reformato Monasterio exsistat, requirere teneantur: Quòdque quoties Abbas Cistercii, & quatuor primi Abbates præfati ad Curiam accesserint, in Monasteriis dictarum Congregationum honorificè recipiantur, & unà cum eorundem familiâ charitativè tractentur. Qui jura, seu contributiones Generali, & Capitulo prædictis occasione Monasteriorum, & aliorum locorum dictarum Congregationum eis ab antiquo debita recipiant, nec ultrà in quibusvis exactionibus Monasteria, personæ, & loca Congregationum prædictarum gravari possint autoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuò statuimus & ordinamus &c.

Cujus vigore diplomatis, cùm in Congregantes omni penè jure se spoliatos cernerent Galli, nullum non mo-

movebant lapidem, ut ad antiquum illud despoticum imperium redirent. Sed ùt multum conati sint; à Leone Pontifice impetrare non potuerunt, ut Julianis literis, ne latum quidem unguem, pondus suum abrogaretur. Extorsêrunt tamen à Monachis precariò, ut missis ad Generalia Comitia legatis, de pace, dèque concordiâ, mitiori icto fœdere, iterùm ageretur. Rem longior deliberatio traxit, asserentibus plerisque, privatè deliberaturis tantum non esse audendum, ut quod sapienti consilio Pontificium procudisset diploma, ad unas Gallorum querelas antiquare conarentur: verùm cùm ex alterâ parte tantùm concordiæ bonum præponderaret, ut omnem honorificæ tractationis speciem videretur obruere; tandem visum est Andreæ Pictio, quem iterata Monachorum suffragia eo ipso anno ad Septimianam præfecturam extulerant, ut iret Nicolaus Crescius spectatæ virtutis, ac prudentiæ Monachus, Romanáque in Aulâ apud Leonem, ut posteà dicemus, inprimis gratiosus iis oneratus mandatis: ut totius Congregationis nomine perantiquum Ordinis veneraretur Caput Cistercium; ut Juliani diplomatis justas, gravesque causas exponeret, ut paucis immutatis, & quæ minimi momenti essent, novum, ùt res tulisset, cum Gallis percuteret concordiæ fœdus. Ivit ille jussus in Gallias, cùmque ei plenissimus daretur Senatus, hâc ferè oratione malè tunc animatos Gallos suspendit.

Nicolaus Crescius Monachus Septimianus ad Cistercienses Gallos à Cistercienſibus Italis concordiæ & amicitiæ pristinæ conciliandæ causâ mittitur.

Patres Galli, non, ùt putatis, à vobis alienatâ voluntate sumus, qui hùc ex Italiâ per multos labores, perque certa pericula, vos nostri Ordinis rerum arbitros veneraturi advenimus. Agnoscimus Ordinis Caput, originem nostram non abnegamus, & quæ hactenùs inde dimanârunt salubriter leges, si meministis, amplexati sumus: quodque benè vertat, modò hic noster ad vos adventus, communi, si ipsi annuitis, velitatur concordia.

Si quod autem inter nos aliquando videtur intercessisse dissidium, re verâ non tam dissidium fuit, quàm in utrisque priscos conservandi mores vehemens quoddam studium, egregiaque voluntas. Nempe per Hetruriam, perque Insubriam coivisse nos in cœtum, vos priscis ex moribus paulò aliter institutos, non mediocriter offendit. Fateor, habere videbatur causam justæ offensionis, res nova, atque hactenùs inaudita in Ordine. Sed, si benè animadvertitis, ad tuendum Ordinem ea res instituta erat, non ut hujùsmodi saluberrimæ temperationi insanabile vulnus imponeretur. Circumspicite mecum, si libet, (collibuisse autem jam olim oportuit, Patres, cùm ageretur res nostra) quæ in Galliis, aliisque nobilissimis Provinciis sparsa, ac proseminata sunt nostri Ordinis opulenta Cœnobia: hoc Aulicus domini sui potentiâ succinctus invasit; illud ad clarioris alicujus domùs afflictas fortunas sustinendas destinatum videmus; alterius opes Purpurati cujuspiam ecclesiasticus splendor voràvit: diversaque diversus, profanusque abstulit usus, corrupit occasio, delevit necessitas, pessundedit incuria, turpis denique luxus consumsit. Cujus exitii causas si quæratis, haud aliæ veriores sapientibus fortassè occurrent, quàm quòd minùs inter se colligata erant, ideòque singula, ac seorsùm posita faciliùs injuriæ patuèrunt, languidiùs, impotentiùsque rapientibus restitèrunt. Receperamus dudùm in Hetruriâ, atque Insubriâ quasi postliminiò quàmplura tùm Cisterciensis, tùm alterius instituti Monasteria nullâ dominandi, alienaque rapiendi cupidine; sed vel à Romanis Pontificibus jussi, vel à munificentissimis Principibus evocati, non semel autem ejùsmodi detrectantes provinciam, etiam anathematis mucrone compulsi, timuimusque post factum (ut cuique ingenitus amor est, ea conservandi, quæ peperit) brevì dilapsura, quæ ingentibus curis, summisque conatibus parta erant. Ita-

Nicolai Crescii Monachi Septimiani consideratu dignissima verba ad Cistercienses Gallos.

Itaque admoniti incommodi, exitii non expertes, conspiràvimus in eam rem, ut, Apostolicâ accedente autoritate, cœtum certis legibus colligatum celebraremus, quo quasi in orbem collecti ad omnem injuriam tutiores essemus. Nùm propterea ejuravimus Ordinem, cucullum immutavimus unquàm, si quæ afferebantur è Galliis, rejecimus leges; adventantes quasi alienos non excepimus Gallos: euntes, redeuntes, pecuniâ præsenti non juvimus; imperatam quandoque, & quidèm, ut liberè dicam, acerbiùs statim non solvimus?

Constat igitur Congregationem non ad injuriam Ordinis, sed ad decorem, sed ad firmitudinem, sed ad Majorum nostrorum gloriam institutam fuisse. Interìm res nostra per Italiam promovebatur feliciter, in eoque omnes conatus nostri erant, ut perditi cujusque mores ad correctionis incudem, lenitate malleatrice, recuderentur. Cùm quidam perosus reprehensionum ictus, seu potiùs veritus admissi sceleris pœnas transfuga ad vos pervènit, eas profectionis suæ afferens causas, quæ nos crudelitatis damnarent, fugitivum absolverent. Fecerant reo fidem apud clementes Gallos longissimi itineris tempore alienissimo susceptus labor, squalor, situsque indè fœdissimè contractus, lacrymæ, singultus, plenæ demissionis, officiique prehensationes, verba denique quæ dolor, odiumque per summam fallaciam procuderant. In quo haud vituperamus opem vos ferre miseris, vel apud vos eosdem habere effugium, sed quòd inauditos nos, ipsâ rei absolutione vestrum tribunal damnârit; hoc demùm summâ animi moderatione conquesti sumus. Dùmque ejùsmodi adhuc arderemus dolore; ecce tibi qui fugerat titulo insignitus Abbatis, atque ad faciendam vindictam visitatorio munere succinctus, non adhùc toto benè se vertente anno fasces in nos plenissimæ vestræ potestatis intentat. Date veniam fasso, ingemuimus quotquot Ordinis eramus aman-

 tes,

tes, innoxios illum advenisse ulturum, quorum noxius; puniendusque non ità pridèm excusserat potestatem. Quid igitur nos? Non tulimus injuriam; nobisque deferentibus, ad facinus exarsit Julius, seque longiùs proferenti, Pontificiis datis literis, salubres potestati vestræ præscripsit cancellos. Hìc Italorum moderationem advertite, PP. Cùm enim ex toto Gallicum jugum excutere potuissent, haud tamen acquieverunt. Voluerunt autem utriusque nostrûm concordiæ exstare ad æternitatem impressa vestigia. Itaque per literas adhùc Pontificias nostrorum hominum correctores estis; sed nobiscum: Arbitri rerum, sed intra terminos æquitatis. Unum illud omninò sublatum voluimus, crebras videlicet Comitiorum vestrorum in nos leges; atque illorum ad vos provocationes, qui eà quæsitâ effugii larvâ nostrum judicium sunt non semel eludere conati. Nisi hoc statìm ostendero, Patres, è dignitate Ordinis esse, ideòque è re vestrâ, non renuo, quin primam, quam deinceps in hac perorandâ causâ sum vocem emissurus, clamoribus opprimatis. Sed ne hoc pertimescam, singularis vestra humanitas facit, atque hæc audiendi alacritas tanta, quantam nunquàm alibì me vidisse memini. Ac ad leges quod attinet, ut ut ex se salubres sint, nocebunt potiùs, illorumque statum evertent, ad quem potissimùm erigendum constituebantur, si subditorum conditionem dedeceant, temporique non serviant. Quis enim Legislatorem illum non rideat, qui legibus servitiorum, liberos Cives vellet constringi; rursùmque qui in moderatissimâ, castaque Civitate Scatiniam promulgari curaret? Nulla lex satis commoda omnibus est, *ut inquit Portius Cato*, id modò quæritur si majori parti, & in summam prodest. *Modò verò si advertitis, Patres, ex Congregationis legibus ità instituti sumus, ut si uni Præposito perpetuò servientium velimus jura subire, magna animorum consternatio sequa-*

quatur, ac perturbatio rerum. Ac tempus quidèm magnum habere momentum, ut personis leges conveniant, nemo est qui non videat. Nôrunt omnes Oppiam aliquando legem (quæ cavebat ne qua mulier plus semiunciâ auri haberet, neu vestimento versicolori uteretur; neu juncto vehiculo in urbe, oppidovè, aut propiùs inde mille passus, nisi sacrorum publicorum causâ veheretur) in medio Punici belli ardore salubriter latam fuisse, quæ posteà florente Republicâ, bellique metu cessante, prudentiorum consilio antiquata est. Non idem tempus est, Patres, ut iisdem legibus involvamur. Quæ enim de æternitate præfecturæ olìm rectè censebant; apud nos modò ùt tyrannicæ invidiâ ardent, qui intrà unius anni circulum coarctatam experimur salubrem: eas verò, quæ de Monachorum, Cœnobiorumque filiatione quondàm non insulsè præcipiebant, promiscua jam cohabitatio, rerumque omnium communio irritas fecit: quæque apud cujusque domus comitium Prælatos eligendi sanciebant potestatem, salubri modò consilio sapientum virorum regimine constituto, nullius momenti sunt, ut interim omittam cetera, quæ præsens rerum status vix patiatur & ferat. Hùc accidit Legislatoris illas proprias esse partes introspexisse animos, novisse mores, propiùs cives tractâsse. Nam quàm dedeceat, si Draco haud sibi notam Romanam Curiam severioribus latis legibus humano cruore defœdet? Mitioraque Lycurgi jura meritò durus Parthus derideat; Solonemque de militiâ præcipientem imbellis Indus horrebit. Dìu est quòd à vobis longè absumus, Patres, non tàm intervallo locorum, quàm institutione morum: vosque jampridèm rem nostram eminùs, hoc est, per Procuratores vestros in Romanâ Curiâ administratis. Qui cùm crebrò abeunt, succedantque mox alii, ut vestrum imperium tulerint, necesse plerunque est confundere, atque confundi, dum imprudentes rerum, nec satis me-

mores temporum, quæ è nostris moribus recesserunt, pro novis inducunt, ac tanquam obsoleta convellunt, quæ adhuc adolescunt, & crescunt. Num verò vobis aliquid de imperio vestro in nos ideò disperire putatis, si nostris moribus, legibusque quæ item Ordinem tueantur & ornent usi fuerimus?

Secùs accidet, Patres, indè enim unâ tranquillitate duce vestrum in ceteras gentes proferetur imperium, stabitque dignitas Ordinis æquiorque potestas veros vos rerum arbitros arguet, atque ostendet, si qui Cistercienſi Ordini se adjunxerunt, eumdem eos sinatis salubribus Constitutionibus juvare, atque ex hâc corruptelâ morum quasi è gravi tempestate ad portum devehere. Neque tamen nova nos invexisse in Ordinem dicendum est. Haud enim nova sunt, quæ cùm ipso Ordine enata, alitaque videntur. Quid enim erant illæ Cœnobiorum, Monachorumque in Cœnobiis filiationes, quid ad unius Capitis, ac Generalis arbitrium hactenùs omnia administrata; nisi hujus, quæ modò coivit Congregationis certissima præludia? Atque utinam, Patres, Deus fecisset, ut non tàm serò ex illis seminibus prodiissent ii fructus, profectò modò aliquem Ordinem haberemus, qui, dilapsis, abreptisque fortunis, propemodùm hoc tempore nullus est. Sed una perpetua, unique loco affixa potestas, cùm plus æquo saperet imperantibus communi incommodo, ut posteri experimur has salutares leges protraxit, atque morata est. Quam demùm cùm, experientiâ duce, everterent meliorum consilia, quid aliud inde evenit, nisi ut ejùsmodi Reipublicæ corpus formaretur, in quo tanquàm ad omne opus flexibilia membra emolliti animi, & sincerè parère addiscerent, & moderatè præcipere?

Sed videamus jam quantùm illæ privatorum ad vos provocationes vobis afferant decôris, Monachorum moribus adjumenti. Ac primùm non me latet, hujùsmodi appel-

appellationes superioris judicis, ad quem provocatur, arguere, nescio quam ampliorem potestatem, quam mordicùs retinere solent ii, qui summo civili jure, in eos agunt, quos semel quovis modo jugum accipere coegissent. At in religioso statu, quem jugum suave sacræ literæ vocant, si frequenter admittantur, dèque privatis rebus sint, inferioris ordinis Superiorum contemtum inducunt, intèrque Superiores discordias pariunt, partasque sustentant & alunt; novandis rebus peramplam fenestram aperiunt; atque ad noxiam licentiam subditos acuunt, cùm sibi, vel ad trahendas promeritas pœnas, vel ad eludendum judicium senserint patère appellationum effugium. Ac, ut quæ modò dixi sigillatìm, sed breviter perstringam; quis non videat unam animi moderationem adeò religiosum statum totum occupare, ut vix juris tergiversationibus locus videatur relinqui? Etsi enim non negaverim posse accidere, ut in judicio ferendo hominibus Deo votis aliqua ægritudo animi imponat, agatque transversos, itàut aliquando necessarium subditis videatur ad superiorem judicem provocare; assero tamen, ùt non semel dico, tanquam pharmacis, succisque amarioribus hujùsmodi appellationibus utendum, cumque graviores causæ perurgent: aliàs levibus in rebus illud Scripturæ remedium ad manum esse debere, quo Angelus olim ad dominam suam, fugitivam compulit ancillam cùm diceret: Revertere, & humiliare sub manu illius. *Nam si ubi quisque vecors pro merito flagro cædetur ad vos recurrat, ut iterùm jactis calculis judicium recoquatis, nullus discordiarum finis, nullus litium terminus inveniatur. Jam inter Superiores, ac subditos reverentia, amorque peribit, verecundia dilabetur, Ordinem totum corrumpet confusio, cumque suspecti invicem evaserint Superiores, gliscet odium, statìmque odium sequetur contemtus, atque inter diffidentes impunis interìm triumphabit audacia, indèque novarum re-*

rerum studium exæstuare necesse erit. Siquidèm dùm præsens rerum status non placet; ejùsmodi è vestigio, qui videatur profuturus, molimur. Ceterùm quàm audaces ad omne scelus sunt, qui inter duo tribunalia pervident posse suspendi litem, ac dilatione ipsâ marcêre judicium! Omitto provocationum occasione turpissimè initas fugas; ad expugnandum judicis animum sacrilegè comparatam pecuniam, maximo cum dispendio morum longissima suscepta itinera; secularium hominum non sine injuriâ claustri quæsitum favorem; inexpiabilem in invidiam non semel adductos Superiores; denique, ut non procederet lata sententia, in omnem fallaciam, scelusque conficta commenta: Hæc, inquam, omnia, ut dissidii causam inter nos sublata voluimus. An è Republicâ fecerimus necne, vos ipsos judices volo. Certum est vos indè minùs ardere invidiâ, litibus obtundi rariùs; nos verò omni ex parte quietiùs agere, nostrorum mores ad miraculum provehi.

Licet autem hæc videantur æquâ lance pensata, intelligo tamen vos hactenùs improbare, vestrum non fuisse arbitrium requisitum, dum novæ rei firmandæ munimenta hæc quærerentur. Sed neque in hoc, meâ quidem sententiâ, Italorum Monachorum habetis, quòd vel modestiam requiratis, vel incusetis audaciam. Jam intercesserat litigantibus Pontificia potestas, jam dimanârat diploma: neque jàm anteà tutum fuerat, ut pars partis sibi propemodùm succensentis exspectaret arbitrium. Modò verò cùm, residentibus animis, ultrò nos ad concordiam provocetis, non recusamus conditionem, statìm, ùt videtis, ad vos contendimus, legem accepturi, si æquitate sequestrâ, haud iniquam feratis. De Juliano diplomate, ùt video, jam tota controversia inter nos futura est, an scilicèt, eo sarto tecto pax videatur posse coire? an aliquid necessariò demendum sit, ut concordia redeat?

Etsi

Etsi autem religio sit Pontificiis literis, vel in minimo detraxisse; adeò tamen magnum bonum est pax, adeò delectat concordia, ut per internicina bella, perque letifera vulnera eam persequantur mortales. Itaque aliquid de jure nostro patiemur perire, si vestrum mordicùs volueritis retinere. Hæc igitur nobis illibata sunto. Congregationis status non invertatur: Superior nullus amoveatur: nobiscum à vobis nostrorum hominum mores corrigantur. His, quæ modò dixi, quæque à Pontifice sancita sunt, adjicite quæ & vestram dignitatem deceant, nostrum statum non destruant. Illud postremò moneo & peroravero, vos scilicèt parentes esse, nos filios, ideòque filios à parentibus ea exspectare par esse, quæ salubria sunt, quæque divinum cultum, moresque promoveant. Hùc si gerendæ rei spectet deliberatio, conferantur consilia, & utriusque partis maximo commodo rem perfeceritis, & omnem discordiæ fomitem sapientissimè abstuleritis.

Dixerat Crescius; & quamquàm nullus Gallorum esset, qui non probè videret per hæc postulata adhùc illibatum Pontificium diploma manere; cùm tamen secum sapientissimè reputarent, quàm difficilè foret Pontificiæ sanctioni machinas admovere; cum Italicâ consuetudine eminùs depugnare; evellere demùm quæ altas radices egissent, transissentque in mores; cùm evomuissent impotentis iræ venenum, subditos, ac servos, Italos Cistercienses vocantes, satiùs rati imaginem aliquam imperii retinere, quàm se fateri devictos, in hæc tandem verba dixere concordiam. Quæ deinceps Itali Cistercienses tulerint leges, ad nos, per nos approbandæ afferuntor: quarto quoque anno ad Comitia nostra in Galliis accedunto: inter Diffinitores ex speciali gratiâ adleguntor: contributiones pro numero Cœnobiorum Procuratori nostro in Aulâ Romanâ solvunto: qui correcturi advenerint, eos in suis Monasteriis honorificè excipiunto. Quod

Conditiones concordiæ sancitæ inter Cistercienses Italos & Gallos.

Ff qui-

quidèm concordiæ fœdus quamquàm dimanârit in scriptis, haud reperio tamen à Leone X. aliquando confirmatum fuisse. Eidem tamen posteà in formam supplicis libelli procuso Pius IIII. Medicæus verbo, FIAT, apposito, impensiùs rogatus subscripsit. Ceterùm pleraque quæ inter Gallos, Italosque convenerant, sensìm, ac ultrò subsecutis temporibus consenuerunt. Siquidèm sapientissimi Galli annuariis contributionibus, ut vocant, contenti, rem omnem ad arbitrium Congregantium permisêre libenter. Quorum progressus adeò cessêre feliciter, ut ad nostrorum exemplum, ut suprà diximus, quamquàm eà in re serò sapere videantur, jam ipsi non renuant, per Provincias, perque cœtus coire. Itaque cùm hoc concordiæ fœdus Nicolaus Crescius cum Galliis prosperè percussisset, in Italiam rediit.

Elogium Nicolai Crescii Monachi Cisterciensis Septimiani.

Hic ille Crescius est, quo Leo X. inter Bembos, Sadoletos, Longoliosque, ideſt illius eruditissimi seculi magna nomina, ad exquisitam eruditionem familiariter utebatur; quique inter primos illos purioris Latinæ linguæ assertores meritò connumerari possit. Siquidèm scripsit multa, castigavit non pauca: tametsi ex illius operibus leve monumentum ad nos vel similium studiorum in nostris incuriâ, vel lividum ævum transmiserit. Ejus tamen notæ est, ut quasi ex ungue Leonem possis agnoscere. Memini me in Cistellianâ Bibliothecâ (quam nostri Majores ex Septimianis ruinis, pretiosis manuscriptis codicibus fœtam reliquerant) ad Martialem, Lucanum, L. Apulejum, ceterosque politioris literaturæ Poetas, Nicolai Crescii ad marginem vidisse notas, eo acumine ingenii inventas, eâ pereleganti phrasi, succinctáque prolatas, ut nullus Acron, Brittannicus, aut Calderinus nullus, doctiora commenta potuerint excogitare; quas nuper intercidisse maximè indolui sub illius improbâ, maláque manu, quem amœniores musæ devovêre jampridèm.

Cete-

Ceterùm quantùm quidèm ex nuncupatoriâ Crescii ad Severini Boëtii correctionem, quam olìm doctissimè procuderat, assequi possum; ejus oratio dulcis erat, latina erat, denique grandis, &, ut ità cum Petronio dicam, pudica, non maculosa, non turgida, sed naturali pulchritudine exsurgens. Quas ille Orationis gemmas non modò scribendo intexebat feliciter, sed loquendo etiam extemporali illâ suâ facundiâ adamussìm, & promtè ità promebat, ut prela statìm possent excipere quicquid latinè fuisset loquutus. Leonem ferunt adeò hominis ingenio, facundâque illâ extemporalitate loquendi fuisse delectatum; ut cùm in coronis doctorum aliquid ancipitis è re literariâ quæstioni subjiceretur, post omnium dictas, libatasque sententias, ad Crescium, quò interruptior audiretur, quasi ad Triarios rem vellet redire. Verùm in Crescio nil magis erat quod mirareris, quàm quòd musas suaviores ità cum gravioribus miscuerat disciplinis; iterùmque utrasque ità cum dexteritate agendi sapienter conjunxerat; ut & elegans musarum alumnus Principem oblectaret in tempore, simulque de rebus gravibus subtilem disputatorem admirarentur plerique. Destinaverant jam indè viro rosei honorem pilei suffragia penè omnium haud insulsâ conjecturâ, ductâ sive à Principis familiaritate, sive à penitissimâ literarum omnium cognitione, quæ Leonem ipsum usque ad admirationem suspenderat; ipseque ad id decus se aspirare videbatur fateri; cùm ad Camillianum Arcum, ut vocant, spectabilis molis erexit Palatium, cujus tanta laxitas esset, ut per cavœdium variis florum generibus constitutum, duas conjungeret semitas. Sed omnium spes properum Pontificis fatum, veridicusque rerum eventus fefellit: & vel judicio Urbis contentus Crescius, æquiori deinceps animo privatam coluit vitam, vel satis habuit re ipsâ meruisse, quod habuisset in votis.

Præstantissima; consummatissimaque Nicolai Crescii eloquentia.

Leo X. Pontifex Maximus Crescii Monachi Septimiani ore facundissimo valdè delectatur.

Severus Monachus Cifterciensis variâ eruditione Romæ spectandum se exhibet.

Romæ etiam vivente Leone ex noſtris Septimianis Monachus Severus in aulâ Bandinelli Saulii pro Theologo verſabatur, Pontifici & ipſe carus. Vir adeò reconditæ doctrinæ, adeò in aliorum ſcriptis dijudicandis emunctæ naris, ſeverique judicii; ut nullus jam eſſet neque remotus, neque citimus, qui, quæ vulganda eſſent, non vellet Monachi Severi limam ſubire. Hic ſive luderet verſu, ſive proſâ oratione gravis incederet; ubique, & ſemper mirabilis apparebat: eóque magis, quòd Hetruſcas muſas latinis ferè dicendo, ſcribendoque æquavérat.

Sancti Bartholomæi Cifterciense Monaſterium propè Ferrariam eximium Monachis bonarum artium domicilium.

Septimianis Ciſtercienſibus per ea tempora pro bonarum artium domicilio erat S. Bartholomæi illuſtre Cœnobium prope Ferrariam, antequam terræ motu concuſſum totum concideret. Locus ſiquidèm Muſis tùm ſacris, tùm profanis aptiſſimus videbatur, & quòd extrà frequentiam eſſet, & quòd præter ſtatas ad Deum preces nullâ proximorum curâ divexaretur. In eo Severus multos inſtituit, indéque adeò multi nobiliter eruditi prodierunt, ut publicis Academiis privatum jam illud muſeum non videretur invidere. Trahebat in dies fama multos ad inviſendos viros, locumque frequentiſſimè celebrandum, in quibus præcipuus Ludovicus Areoſtus, is qui poſteà infinitæ eruditionis vulgato poemate nobilitatus eſt. Hic quamquàm Florentiæ diù moratus Hetruſcas literas imbibiſſet; è Monachi tamen Severi Ciſtercienſis conſuetudine tantùm profecerat, eaque ſuo illi omni ex parte variegato poemati abſolvendo, ab eo acceperat adjumenta, ut alioquìn immortalis nominis vir haud verecundaretur fateri inter amicos, pleraque ſe Monachi Severi induſtriæ accepta referre debere. Areoſtus itaque cùm, emenſo ſuo illo dictionis pelago, ſibi cum integrâ rate revertenti effuſos in litore, gratulanteſque finxiſſet amicos; in his honoris, ac gratitudinis ergò Monachum Severum Ciſtercienſem his verbis annumeravit:

Ludovicus Areoſtus Monachi Severi conſuetudine multùm proficit.

E'l

E 'l Lascari, e Musuro, e Navagero;
E Andrea Marone, e'l Monaco Severo.

Ludovici Areosti ergà Monachum Severum Cisterciensem grati animi monumentum.

Et planè hunc illum esse, de quo scribimus nullus hactenùs dubitavit. Unus Thomas Porcachius tandem repertus est, qui doctorum omnium refragaretur sententiæ; atque ad amicorum quorundam voluntatem ex albo illo illustrium virorum nostro Severo dispuncto, alium quendam Camaldulensem obscuri nominis Volaterranum reponeret.

Error sopinus Thomæ Porcachii.

Et sanè eâ in re nihil morarer Porcachium, nisi, ut hoc evinceret, quædam de nostro Severo, quæ minùs oportuit falsò commemorasset. Defendam itaque modò Severum; Porcachium verò, sed priùs auditum, calumniarum postulabo, ut quam meruerit à minus invidâ posteritate demùm ferat sententiam. Ità ergò in suis ad Areostum notis, inquit ille: *E Andrea Marone, e'l Monaco Severo. Per il Monaco Severo intende il Fornari D. Severo Monaco di Cistello*; & cum Symone Fornario, cui in eruendis Poetæ sensibus Ruscellius, Pigna, Eugenicus, Lavezola primas deferunt, jam indè à Poetæ temporibus omnes intellexerunt, constansque ad nos detulit fama. *Che consapevole della congiura contro Papa Leon X. fuggì in Lamagna, e quivi venne a morte.* Audiamus undenàm viro innocenti, & in claustris à puero summâ cum moderationis laude innutrito conscientiam Petruccianæ conjurationis objectet Porcachius. Versabatur in aulâ Bandinelli Saulii Cardinalis pro Theologo noster Severus, negotiis intererat assiduus, ad aures Domini patentissimum habebat accessum. Conjurat interim in Leonem Saulius; detegitur conspiratio; ejus sceleris popularium alii sunt morte mulctati, exilio alii, nonnulli privati purpurei honore pilei: conjuratorum aliquot familiares verecundæ probitatis viri, ne acerbiorem cogerentur subire quæstionem, hàc, illàcque sunt ultrò dispersi,

Severus Monachus Cisterciensis Septimianus ab accusatione Thomæ Porcachii defenditur.

ſperſi, in quibus noſter Severus gloriâ eruditionis apud Cæſarem gratioſus divertit ad Belgas.. Inde Porcachio ſuſpicio facta, conſpiráſſe eum, ideóque meruiſſe iram Leonis.. Sed non video, cur Saulius Theologo potiùs, cujus præcipuæ partes erant conſcientiam Domini ſeveriſſimè caſtigare, conjurationem detexerit, quàm cubiculi Magiſtro, quàm Scribæ, quàm Agaſonibus, Quaſillariis, Coquo. Quis demùm ejus viri, pannoſi ſcilicèt clauſtralis, ideóque pertimidi in eâ conjuratione uſus futurus erat, quæ tota in unius Vercellii argutiâ digitorum conſtituebatur? Aut quæ ejus ſceleris macula in ceteris Saulii familiaribus potuit reſidere, cùm à Pontifice ipſo Leone, ut refert Jovius, Saulius ſit judicatus auribus tantùm, non item atroci voluntate peccáſſe, eoque nomine ſit abſolutus, iterùmque rubro galero cumulatâ benignitate donatus? Putatne Porcachius, ſi ea conjuratio Monachum Severum vel tenuiter involviſſet, Guicciardinum, ac Jovium, quos ne convivia quidèm lautiora, aut manicatæ tunicæ, aut pugionum capuli, aut inaurata calcaria vix prætererierunt, celebri viro fuiſſe parſuros? Sed nec ullus illorum temporum ſcriptor inter conjuratos Leonis, vel ſuboſcurè Monachum Severum recenſuit, aut recenſere potuit; cùm nec Severi nomen illius conſpirationis acta habeant, ut noſtri teſtantur, quibus ea perſcrutandi Romæ poteſtas facta eſt, quò hæc fidentiùs ſcriberemus. Jam abitionem ad Belgas, quæ ſuſpicionem ſceleris fecerit, diluamus. Abiit itaque Severus, non negamus, & ipſe fatetur; at non ſævitiâ tormentorum, conſcientiáque terrente, ut fecêre plerique; ſed charitate Domini impellente ſtatim profectus eſt, innocentiæ Saulii apud Cæſarem patrocinaturus, ut, eo apud Leonem adhibito deprecatore, calentis quæſtionis ira haud repentè ſæviret. Et vide ex Severi literis ad Corteſium, Corteſiique mox Cardinalis ad Severum quàm mora illa apud Cæ-

Guicciardini, Jovii, aliorumque Scriptorum ſilentium, luculentiſſimum innocentiæ Severi Monachi Ciſtercienſis argumentum.

Cæſarem omni ſuſpicione fœdæ fugæ caruerit, quàm fuerit ſecura, quàm gratioſa, quibus nobilitata ſtudiis. *Beſſarioni* (inquit Severus) is Monachus Caſſinenſis erat, ex gravi causâ à Corteſio miſſus ad Cæſarem. *Beſſarioni, qui mihi vir modeſtiſſimus viſus eſt, omne meum ſtudium, atque operam pollicitus ſum in tuendâ veſtri Ordinis dignitate*: ſuam, arbitror, non amiſerat dignitatem, qui alienam tuebatur. *Eum exiſtimo id omne, cujus gratiâ ad Cæſarem miſſus fuerat, ſummâ fide, ac diligentiâ tranſegiſſe. Attamen, ſi quid in eâ causâ reliquum eſt; aut ſi quid de integro emerſerit, in quo apud Cæſarem aut tibi, aut Ordini tuo alicui uſui eſſe poſſim, id me omni ſtudio curaturum polliceor, atque adeò præ me fero*. Utique non agebatur læſæ majeſtatis reus, qui aliis ſe affuturum pollicetur. *Sunt mihi nunc præ manibus emendationes in M. Tullii Ciceronis Orationes; quas ſi mihi diutiùs ab Italiâ abeſſe contigerit, ad te mittere decrevi, ut à Calchographis in officinâ Aldi, gratiâ, & favore tuo excudantur. Eas cùm tibi, tùm ceteris bonarum artium ſtudioſis, neque inutiles, neque injucundas fore confido. Nec me, ut arbitror, poſt Bucinenſem, & Naugerum in illud opus incubuiſſe pœnitebit*. Ubi ſunt jam illæ ſcelerum furiæ, quæ erronem exagitent? Cùm adeò nobili apud Belgas otio perfruatur, ut & opus exquiſitæ eruditionis aggrediatur, & magnorum illius ſeculi nominum contentionem non perhorreſcat? Ac ne putet Porcachius ſub fictis ad Corteſium literis voluiſſe Severum maculam contegere ſceleris; amiciora facta dictis reſpondiſſe Corteſius ipſe teſtatur, cùm inquit: *Ex literis Beſſarionis intellexi ipſum operâ, conſilio, autoritate, gratiâ tuâ, ſic uſum fuiſſe, ut quòd ea ex ſententiâ confecerit, quorum gratiâ à nobis ad Cæſarem miſſus fuerat, tibi præcipuè ingentes gratias agat, quas & ego non meo tantùm, ſed univerſi Ordinis noſtri nomine immortales ago, egregiè relaturus*,

Severi Ciſtercienſis Monachi verba illibatiſſimam innocentiam ejus palam & apertè demonſtrantia.

turus, cum tibi animos nostros libuerit experiri. Et post alia plena obsequii verba: *Ceterùm non mediocre in nobis desiderium excitasti emendationes tuas in M. Tullii Orationes legendi. Quod opus, conjecturâ ex ceteris operibus tuis factâ, conjicio esse absolutissimum; ut non modò te nunquam pœnitere possit in eo opere post eos, quos nominas, elaborasse; sed magis futurum opiner, ut eos vehementer pœniteat, quòd te in eo labore præcesserint. Quorum quidèm Naugerum plurimùm, etiam eo nomine tibi debiturum polliceor, idque præ se laturum.* An tanta apud Imperatorem gratia, Cortesiique Cardinalis æquè sanctissimi, ac doctissimi hominis encomia, transfugam, eundemque in Pontificem conspiratorem addeceant, ipse viderit Porcachius. Sed ut instituerat dicere persequatur. *Mà io sono informato, che non di questo, mà di D. Severo da Volterra Monaco Camaldolense, e Professo del Monastero degli Angeli di Fiorenza hà voluto intendere; perciocchè egli fù amico dell'Ariosto, & hebbe dolce, e delicata vena di poesia.* Antequàm contumeliosum illud exordium complexionem pariat, designat quem in numerum illustrium illorum Scriptorum reponat. De quo iterùm si roges, à quibus acceperit quæ subjicit; candidè fatetur, à Bartholomæo, Gregorioque Camaldulensibus. Quibus sanè facile fuit deindè in scriptis senis, cui monachalis culina, meliùsque claustra fumabant, quàm pauperes lares, inter scyphos extorquere fabellam. Vixit autem Camaldulensis Severus, quem jactat Porcachius, tempore Leonis sub regimine Petri Delphini ejus Ordinis Generalis, homo persimplex, æternùmque claustro addictus. Quem non modò non laudat in suis epistolis Delphinus, sed inconsiderantiæ potiùs alicubì damnat, quòd ad Religionem admisisset tyronem, qui posteà, impellente irâ, stricto gladio correctoris latus exhauserit. Hunc si gloria carminum, celebreque nomen

Porcachius iterùm Severo Monacho Cistercienfi Septimiano parùm æquus.

per

per Italiæ Academias extulisset, junxissetque cum seculi illius doctioribus; nunquàm indictum præterisset Delphinus, qui etiam minutissima quæque suorum colligere erat solitus, ut in suas epistolas jaceret ad æternitatem.

Sed esto fuerint in Camaldulensi Severo omnia, quæ Porcachius effusè commemorat; Areostum amarit, vicissìm dilectus ab illo; scriptis demùm rithmicis, cantionibus invicem luserint: num propterea evincet, illum esse Severum, qui Lascarum, Musurum, Maronem, Naugerumque eruditione æquaret; quod de nostro affirmat Cortesius, in eáque octonarii clausulâ Areostus conatur ostendere, dum ejusdem artis haud absimilis excellentiæ viros cum laude conjungit? Alioquin difficile sanè negotium suscepisset Areostus, si omnes, qui ad se rythmica scripsissent, ut sibi ex ejus gliscente gloriâ nomen, famamque compararent, in suo poemate voluisset recensere. Utique non tam doctis, quàm incondito populo littus complesset. *M'induco a credere più facilmente, chè di questo habbia voluto quì intendere il Poeta, che del Cisterciense, del quale (tutto che fusse di buone lettere, e favorito del Cardinal Sauli, in Corte del quale stava) non è da credere, che l'Ariosto havesse mai voluto far menzione, poichè ogn' uno in quei tempi sapeva esso D. Severo per la congiura esser stato condennato.* Cùm machinam hanc nequicquàm conjecturis oppugnari posse videret Porcachius, extremâ fortunâ confligens, non provocatus descendit ad maledicta. Quæro, qui isti omnes sint, qui per id tempus nostrum noverant damnatum Severum? Haud Imperator erat, non Cardinalis Cortesius, non Hercules Gensiagus Mantuæ Pontifex, non Naugerus, ceterique ex Italiâ docti; siquidem & apud Cæsarem in honore erat, & in viri laudes effundebatur Cortesius; ceteri vix tanti viri absentiam pati posse videbantur. Ergo Tonsores erant, & lippi, inter quos sedentarius fabulator

 non

non ſine alienæ famæ detrimento ſolebat Porcachius hujùſmodi de rebus agitare ſermones. *Onde perciò era fuggito, & odiato da' galant' uomini*. Hìc intelligere oportet cum illis, quos modò dixi, projecti pudoris ganeones; ſi modò probi, dignique honore exiſtimandi ſunt Imperator, Principes viri, doctique omnes, à quibus colebatur Severus. *Anzi dirò ancora tanto più (e tutto però con modeſtia, e ſenza paſſione) che harebbe il Poeta fatto carico a ſe ſteſſo, & a così honorata ſchiera di Scrittori illuſtri, ſe frà loro haveſſe nominato colui, che per haver' havuto notizia d'una congiura fatta contro la perſona del Pontefice ſacroſanto, era perciò caduto d'ogn' honore, & aborrito da tutti gli huomini di ſana bontà, e cattolici*. Hæc eſt modeſtia Porcachiana, omnem ejurare modeſtiam, dum eidem litare inverecundè perjurat. Sed audi, Porcachi, Cæſar catholicus eſt; ſanæ tùm probitatis, tùm doctrinæ Corteſius; nec violatæ catholicæ religionis Genſiagus; tùm Naugerus, tùm docti omnes, qui ſeculum illud illuſtrârunt haud aberrârunt à fide: & tamen poſt detectam conjurationem amplectuntur Severum, eidem favent; illum laudibus ornant. Ergo tàm ille immunis à conjuratione eſt, quàm illi ſincerè catholici, quàm tu ſenex fatuus, qui iſthæc ſine cerebro, & mente comminiſceris. Potuit igitur & Areoſtus vel ſine ſuæ famæ jacturâ, vel illuſtrium Scriptorum injuriâ, amici Severi in ſuo poemate meminiſſe: niſi fortè in eo poſſit videri exuiſſe pudorem, quod ibi tot clarorum hominum cum Severo voluerit exſtare memoriam, ubi Bernæ, Aretinique Principomaſtygum mentio perennabat. Sed duo jam teſtes omni exceptione majores Severi laudes enarrent, ut ex iis quales ante conjurationem ejus mores fuerint, qualiſque apud doctos, & bonos poſt conjurationem habitus ſit, poſſit dijudicari. Et Corteſius quidèm Paulus omnium ſui ſeculi longè doctiſſimus, in eo quod de

Thomæ Porcachii pudorem, & ſinceritatem fingentis de Severo Monacho Ciſtercienſi Septimiano error.

Exagitatur Porcachius, ejuſque calumniæ obteruntur, atque contenduntur.

de Cardinalatu confecit opere, ità Severum exornat, ut ejus spectatam sivè probitatem, sivè doctrinam, ad paradigmaticos excogitata præcepta eleganter accommodet. Modò enim illum peritum linguarum deprædicat, cùm inquit: *Ut si ego quotidie, aut Severo Cistercienſi Græco paraphraſte, aut municipe meo M. Margatto Fanenſi ſyllabico cognitore utar, quo ſocietas vitæ ſit ſtudiorum conjunctione lætior*. Modò vitâ, doctrináque præcipuum extollit. *Nuper cùm eſſet mecum* (inquit) *Severus Monachus, homo ut vitâ, ſic doctrinâ exquiſitâ nitens &c.* Rursùs in eo eas naturæ, artiſque dotes agnoſcit, quæ Regios irritatos ſpiritus nomine publico poſſint ſedare. *Ut ſi dicamus*, inquit, *Ludovicum Gallorum Regem Senenſium Reipublicæ ſuccenſere ſolere valdè, propterea quòd ejus ſit quadragies mille perſolvendi tarditate offenſus; quòd ei ſe bello Aretino ſoluturam pepigiſſet; facilè credendum ſit, eum, hoc maximè tempore à Senenſi Republicâ leniri poſſe, quo vehementer eſt victoriâ transpadanâ lætus; idque eò faciliùs eventurum, quò celeriùs Reipublicæ nomine eſt Severus Monachus ad eum conciliandum miſſus, quo nemo eſt aut naturæ ſuavitate gratior, aut artificioſâ eruditione ad hominum ingenia placanda aptior*. Tùm illius ſapientiſſimè tranſlata verba admiratur, & colit: *Simile poteſt judicari illud, quod iis meſſoriis feriis eſt à Severo Monacho in Corteſiano dictum. Nam cum in conventu, in Petri Soderini Florentini Dictatoris mentionem incidiſſet, maximèque probaretur omnibus ejus in animi affectione temperandâ virtus; perindè eum in proſperarum rerum ambitione moderandâ, ut mare putari debere dixit, quod nullâ externarum aquarum accenſione redundet, nec fines ſuos naturâ intemperatâ tranſeat*. Demùm ejus ſuaviſſimum ingenium ità deſcribit, ut ad omnem moderationem poſſit pro incomparabili proferri exemplo. *Cùm homines*, inquit, *interjectâ*

Severi Monachi Septimiani Ordinis Cisterciensis multiforme ac eximium elogium à Cortesio adornatum; quo omnes suspicionis, ac malignitatis Porcachianæ nebulæ mirum in modum diffiantur, ac dispelluntur.

quàdam bilis mediocritate temperantur; *tum nihil fieri posse videmus, eorum naturâ moderatâ lenius. Quo in genere maximè hodie Severus Monachus placidâ naturæ suavitate floret.* An verò ex istis suavissimis moribus, præclaráque doctrinâ, atrocitas ulla in sacrosanctum Ecclesiæ Thronum proficisci potuerit, conjectabunt prudentes? Certè Gregorius Cortesius, Pauli gentilis, ac sub Farnesiano Pontificatu mox Cardinalis, non modò Severum in Germaniâ versantem conjurationis non accusat, coarguitque, (ùt non semel dico) ut etiam in hæc tanto Cardinali digna verba collaudet: *Dedissem*, inquit, *omnino anteà ad te literas, si mihi exploratum fuisset, diutiùs te apud Cæsarem commoraturum. Cave enim putes, quippiam gratius, aut jucundius mihi eo officio potuisse accidere, nisi fortè, ut te viderem, & alloquerer, contigisset. Nescio enim quo meo malo fato acciderit, quod ex quo Religionem istam, quam tu profiteris, & ego professus sum, cùm te semper, ut ita dicam, vestigiis fuerim insectatus, nunquam tamen assequi potuerim. Nec adeò anteà multis diebus, ut te potissimùm consiliario, & mystagogo tantum opus aggrederer. Et quidèm quantùm memoria repetere possum, nemo te mihi est amicus antiquior, nemo magis conjunctus, nemo cui æquè omnes studiorum meorum qualescunque fructus acceptos referre debeam. Non enim memoria nobis excidit, nec excidet profectò aliquando, cùm tu jam tum Princeps Ordinis tui, atque adeò maximâ dignitate præditus me adolescentulum, & adhuc in literis balbutientem, tantùm aberat ut sperneres, ut ultrò etiam facilitate, comitatèque tuâ ad continuum contubernium semper provocaveris. Cùm noctes, diesque me quietem studiorum tuorum interpellantem non modò non repellebas, sed ne vultu quidem subtristiore molestè id ferre unquam mihi visus fueris. Resonant adhuc in auribus meis sanctissima illa adhor-*

adhortationes, & gravissima præcepta, quibus me assiduè, & ad bonarum literarum studia, & ad Christianam pietatem hortabàre. Cùm eâ ordinis gravitate, quâ tunc eras, etiam circa incunabula mea cùm latinarum, tùm græcarum literarum, mecum, ut ita dicam, repuerascere non gravareris, ut ad ea, ad quæ verbis me hortabàre, te ipsum ducem, & prævium nobis exhiberes.

Hæc itaque Porcachium, posteritati meliùs, meliùs nobis, meliùs famæ suæ consulturum legisse oportuit, antequàm stricto stylo in putidis illis suis notulis contrà Severum Monachum ad aliorum gratiam inveheretur. Sed quicquid dicendo molitus sit; haud potuit tamen, neque deinceps apud cordatos poterit à suo Marone, Naugeroque Monachum Severum distrahere. Id modò suâ maledicentiâ abundè testatus est, quàm verè de invidiâ dixerit ille: ARRIPIT BONOS PERPETUÒ; NEC CERTAT CUM PEJORIBUS.

An egò interìm defendendo Severum, refellendoque Porcachium è lege historiæ fecerim, præsertìm cùm ad ejus dicta, quæ extra modestiæ confinia videbantur vagari, stomachatus plerùmque, responsionis pertulerim æstum, haud satis scio. Certè constat, non in totum me à munere abiisse historiæ; cùm lucem attulerim veritati, sitque historia, ut Princeps eloquentiæ loquitur Cicero, lux veritatis. Si qua autem in nostrâ responsioue videantur sordere; pietas primùm, post ipsa indignitas rei omnem maculam delebit. Siquidem hæc nos acriùs stimulavit, illa coëgit, ut nostri Ordinis virum clarissimum haud omninò indefensum relinqueremus. Ceterùm tametsi quæ facta sunt, infecta esse non possint; indè tamen capere nostros consilium monemus, nunquàm, aut raròcommorandi in aulis, certos se famæ maximam jacturam facturos, etiam si in illis sanctissimè versarentur. Etenim ea est erga Deo votos homines parata perfectioris

Periculosissimam Monachis in aulâ commorationem, exemplum Severi Monachi Cistercienśis ostendit.

ctioris vitæ exspectatio; ut si vel tantisper ab officio cessent, fœdissimè labi putentur, levique momento eorum existimatio corrumpatur. Undè ille, melioris seculi gemma Basilius cum picturis Monachos elegantissimè contendebat. Ut enim illæ pulchræ, si à longè, fœdæ verò, atque deformes apparent, si propiùs aspiciantur; sic istos tamdiù dicebat videri perfectos, quamdiù insipientium hominum oculos defugissent. Res est in promtu. Nihil egerat noster Severus; Italiam, Germaniamque exquisitâ illustraverat eruditione; laudem tulerat inter doctos, quæ ejus seculi summum deceret; & tamen, quòd in aulâ conjurati fuisset, ne mortuus quidèm, ac post seculum integrum putidæ calumniæ morsus defugere potuit.

Basilius Magnus Monachos cum picturis egregiè comparat.

FINIS LIBRI SEXTI.



NI-



NICOLAI BACCETII FLORENTINI

Ex Ordine Ciſtercienſi Abbatis

SEPTIMIANÆ HISTORIÆ

LIBER VII.



HOC eodem fermè tempore, Antonio Albico iterùm Septimi Abbate, Leo X ad capeſſendum Trium Fontium Monaſterium ad Aquas Salvias Septimianos liberaliſſimè invitavit. Monaſterium antiquiſſimæ fundationis eſt, ſedeſque Græcorum fuit, quos non tàm ex inſtituto, quàm ex atrato veſtium cultu Philippus Malabaila in vitâ Bernardi Monachos nigros appellat, qui ad præſcriptum S. Baſilii etiam ad hanc diem in Criptâ Ferratâ, ut vocant, propè Tuſculanum vitam inſtituunt. Sed poſteà, ſivè labentibus moribus, ſivè graviore expellente cœlo, ſivè è bellorum excidio, occultâque rerum humanarum inſtabilitate

Leo X. Septimianos Monachos amantiſſimè ad capeſſendum Trium Fontium Monaſterium ad Aquas Salvias invitat.

tate in Ciſtercienſem Ordinem jam indè à D. Bernardi temporibus cooptatum eſt. Cùm enim Bernardus ſeptem ipſos annos cum pervicaciâ Petri Leonis Pſeudopontificis depugnaſſet; tandemque Romæ repentino propemodùm fato rebellis fuiſſet exſtinctus ; hortatu Siculi Regis, qui teterrimum ſchiſma fovebat, factioſiſſimi quique, ſivè deperditæ cauſæ honeſtum titulum adhuc ignorati juris facturi, ſivè eâ morâ ab Innocentio vero Pontifice æquiores laturi pacis conditiones, in demortui Anacleti locum Gregorium Cardinalem ſub nomine III. Victoris illicò ſubſtituerunt. Sed non minùs hos ſalutariter perurſit Bernardus. Hortando enim, terrendoque ità effecit;ut,relicto Idolo, ad verum Pontificem cum illo ſuo devicto Victore omnes redirent. Indè pax aurea Urbis, & Orbis ſequuta. Quam ſibi latiſſimè ad Gaufridum Ciſtercienſem ſcribens gratulatur Bernardus, cùm inquit: *Ecce venio citò, etiam & merces mea mecum eſt, victoria Chriſti, & pax Eccleſiæ. Itaque venientes veniemus cum exultatione portantes manipulos pacis*. Nec defuit dicto fides. Quinto enim die poſt redditam Eccleſiæ pacem, ad Claramvallem properè rediturus urbe exceſſit, ne ob gratulantium voces, inani gloriæ, quæ præclarè geſta ferè ſolet comitari, fieret opportunus. Sed abeunti Pontifex Innocentius SS. Vincentii, & Anaſtaſii Monaſterium dono dedit, ut in urbe potiſſimùm ejus exſtaret memoria, cujus ſeptennii labore factum eſſet, ut ſtabili, fidâque pace frueretur. Rediit victor in Gallias Bernardus; Pontifex autem ei ſe curæ dedit, ut penè collapſum reædificaretur Monaſterium. Ea enim à multo tempore incommoda perpeſſum fuerat, quæ ſolitudo, quæ inſalubritas aëris, quæ bella, quæ demùm invidioſæ opes hujuſmodi locis ſolent afferre. Itaque luxuriantes ſentes à multo tempore metu ſolutæ falcis occupaverant omnia, detruncatoſque muros, vibratis ad excidium in juncturas radicibus ſpuria,

Quomodo Monaſterium Sanctorum Vincentii & Anaſtaſii ad Aquas Salvias ad Ciſtercienſes tranſierit, refertur: variaque ad idem Monaſterium ſpectantia memorantur.

ſpuria, ultróque enata virgulta premebant; Salvias Aquas nullo certo conceptaculo caſtigatas, temerè autem fluidas, divaganteſque arenoſum ſolum ſorbebat, itàut jàm inviſæ inane nomen celebri loco facere viderentur. Templum ſolum è tantâ mole vetuſtas reliquum fecerat, cauſâ expiandorum peccatorum novem Eccleſias obeuntibus venerationi futurum. Cùm ergo Pontificis munificentiâ veteri fundamento novi parietes acceſſiſſent, ſatiſque idoneum domicilium pollicerentur mortalibus, D. Bernardus altero è Galliis miſſo Bernardo è Paganellâ gente Piſano nobili alumno, illìc felici ſanè progreſſu Ciſtercienſem Ordinem propagavit. Hic ille eſt, qui ſub III. Eugenii nomine ad Pontificiam Sedem evectus Romanorum Pontificum abſolutiſſimum, atque incomparabile exemplar ſe præbuit, quique, ut Sigonii de Regno Italiæ utar verbis, *gloriam Pontificatùs Romani inſigni humilitate repræſentavit. Admirationi erat omnibus in tanto dignitatis faſtigio, tàm conſtans ſui demiſſio. Etenìm & tunicâ laneâ carnem premebat, & dies, nocteſque cucullâ indutus non ſolùm incedebat, ſed etiam cubabat. Intùs Monachi habitum gerens, extrinſecùs Pontificem ſe, & moribus, & indumentis præſtabat. Segmentata ei circunferebantur pulvinaria, lectus palliis inſtratus cortinâ ambiebatur purpureâ, at cum evolverentur operimenta, ſuperjectis laneis, comploſa ſtramina, & paleæ conglobata reperiebantur.* Hactenùs Sigonius. Ex cujus quidèm exemplo tam multa poſteà è fontibus illis Eccleſiæ dimanârunt decora, ut eorum numerum vel inſtructiſſimus ſcriptor poſſit reformidare. Duo tamen in his ità Eccleſiæ præluxêrunt, ut nullius ſilentii tenebris poſſint obduci, Raynerius ſcilicèt Capoccius, & Jacobus Pecoraria notiſſimæ prudentiæ, ac ſanctimoniæ Cardinales; quorum ille ter in Hetruriâ contra Fridericum functus legationibus, cùm eidem nobiliſſimæ Provinciæ ſaluti fuiſſet, &

Raynerius Capoccius, & Jacobus Pecoraria Ciſtercienſes Cardinales laudantur.

Hh com-

commodo; Cifterciensem rem suo favore fundavit in Septimo. Hic verò cùm inter Florentinos, atque Senenses, quorum, mutuis illatis cladibus attritæ fortunæ erant, pacem fecisset; à IX. Gregorio missus in Gallias, ut indè doctissimos, atque sanctissimos viros adversùs Fridericum deduceret ad Concilium; inter Corsicam, atque Pisanum Portum ab Hentio Friderici ex pellice filio, plerisque ità crudeliter interfectis, ut ecclesiastico sanguine propemodùm unda maris tepêret, capitur; sed majestate viri deterrente Tyrannum, cultus muneribus posteà dimissus ecclesiasticam rem defendit egregiè, donec nutanti Christiano Orbi ad perniciem mortalium fuisset subtractus. Ceterorum verò illic pro tempore commorantium Monachorum tanta sanctitas fuit, ut ad eam ornandam certatìm pii mortales ingentes profudisse opes possint videri. Numerat enim Monasterium illud nobiles suæ ditionis Pagos, maritimos Portus, Castella, ingentisque opulentiæ latifundia. Manet autem hactenùs sua loco sanctitas. Divi enim Anastasii capite, ejusdémque cacodæmoni perhorrescendâ effigie, aliisque venerandis Sanctorum Reliquiis condecoratur, quem jàm olìm ex Apostolici capitis à cetero corpore sub lictore divulsi, triplici saltu totidem perennes fontes nobilitaverant. Hoc ergo tam insigne Cœnobium, liberalitate primùm Raphaëlis Episcopi Ostiensis, deindè Julii S.R.E. Cardinalium, approbante Leone, Septimiani Cistercienses sui juris fecerunt anno MDXIX., in eoque sanctimoniæ fructus protulêre mirificos. Nostrâ memoriâ ejus Monasterii Præpositus floruit Augustinus Ghettinus Florentinus, eximiæ sanctitatis Monachus, ac spiritu prophetiæ clarus; de quo ità Antonius Gallonius Romanus in vitâ S. Philippi Nerii. *Eodem hujus seculi anno quinquagesimo septimo, cùm vesperi, post fusas Deo preces, epistolæ de rebus Indicis in ejus cubiculo legerentur; tantà cupiditate ardère cœpit*

Hentii Regis, Friderici Imperatoris ex Pellice filii immanis crudelitas.

Nimia Monasterii Trium Fontium ad Aquas Salvias opulentia.

Augustini Ghettini Florentini Monachi Ordinis Cisterciensis perfecta, cumulataque virtus.

cœpit infideles ad legem evangelicam reducendi, ut statuerit ad Dei gloriam, difficultatibus omnibus, periculisque spretis, quæ plurima, maximaque se se ei offerebant, unà cum Francisco Marià Taurusio, & Joanne Baptistà Modio, & Antonio Fuccio, aliisque è suis alumnis ad viginti, in Indias proficisci. Verùm, ut in hujùsmodi deliberationibus fieri solet, cogitavit primùm, ut rem Deo assiduis precibus commendaret. Nihil enim ille aggrediebatur unquàm magni, vel parvi momenti id esset, nisi consulto priùs, ac propitiato Domino; deindè, quò de divinà voluntate certior esset, ut pios viros consuleret: postremò, ut qui inter eos sacerdotii capaces essent, sacerdotio initiarentur; tùm, ut petità à Pontifice Maximo benedictione, atque licentià, longinquo, ac periculoso itineri se se committerent. Is profectò omnium ardor erat, ut terrores, vitæ pericula, Dæmonum tentamenta, ærumnas pro nihilo ducerent; gravia quæque nimirùm ob Christi fidem disseminandam patiendi cupidissimi. Ergo, Philippo eam in rem intento, hanc mentem injecit Deus, ut Religiosum quendam è S. Bernardi familià sanctitate conspicuum adiret; ejus voluntatem illo interprete, ac deprecatore auditurus, quod fecit. Praerat is eo anno Monachis Cistercienfibus apud Cœnobium Sanctorum Vincentii, & Anastasii Martyrum ad Aquas Salvias. Parentes habuit, ut Francisco Marià referente didici, eà sanctimoniæ laude exornatos, ut præter ceteras consuetudines Christiano homine dignissimas, hanc perpetuò tenuerint, ut biduo antequàm procreandis liberis juxta matrimonii sanctissimas leges operam darent, peccata confessione exponerent, sacràque se se Eucharistià reficerent. Quibus peractis Deum rogabant enixè, ut ipsis filium daret, qui dignus esset in numerum servorum ejus adscribi. Migràrunt hi è vità eà sanctitatis famà, ut illos existimàrint omnes ad eum locum, qui rectè morientibus patet, sibi

Antonii Galloni Romani luculentissimum de præstantissimà virtute Augustini Ghettini Cistercienfis testimonium.

 adi-

aditum aperuisse. Horum filii, filiaque ejusmodi in rebus piis progressus habuère, ut sanctissimè & vixerint, & obierint. Nunc ad Philippum, cujus cùm animum Augustinus Ghettinus (id erat Monacho nomen) cognovisset; inducias petit, oratione enim rem à Deo respondit quæri oportere. Supplicatione completâ, Philippo narrat, Romam non ad Indias evocari, Indiasque ejus Romam esse, apparuisseque sibi Johannem Evangelistam, qui diceret, Deum ità velle, ut Roma ad ipsius vineam excolendam maneat, ubi multos eidem filios aggregabit. Romæ quippè, & ejus, & alumnorum operâ ad plurimorum salutem uti decrevisse. Retulit is etiam vidisse se aquas, vulgò Trium Fontium appellamus, in sanguineum colorem mutatas, quà re apertissimè significari dicebat, novam urbi procellam impendère, quod etiam ab eodem Apostolo se accepisse narravit, totiusque visionis ordinem Philippo exposuit. Tùm, his ille auditis, ad omnia se pro Christi arbitrio paratum ostendens, sermoni Servi Dei cessit; Romæ manere statuit: ubi quàm strenuè in animarum salute procurandâ elaboraverit, quotvè fructus ediderit, nullus est qui non nôrit. Hæc de S.Philippo, dèque nostro Ghettino seriò, & eleganter Gallonius. Impendens autem urbi procella, quam è tinctis cruore fontibus Augustinus conjectabat, ea proculdubiò fuisse videtur, cùm purpuratus Caraffa, sub Paulo IIII. avunculo, Gallica, peregrinaque arma in Italiam publico malo, sed irrito conatu devocavit. Augustinus verò hic noster ex assiduis in cœlum aspirationibus admodùm difficilem diphnæam contraxit, itàut sedens ferè semper somnum solicitaret, ægréque conciperet. Compensabat autem insomniæ tædium continentibus ad Deum precibus, divinisque colloquiis, quibus ità insueverat; ut beatissimi illius ævi jam civis esse factus videretur. Indè illi in res futuras certissimi contuitus. Constat enim omnia evenisse

se ad punctum quæcunque nostri Ordinis hominibus aliquando denunciaverat. Monachum per id temporis induerant ex Florentinâ juventute duo. Quorum cùm Augustinus vultûs lineamenta furtivo intuitu semel, & iterùm percurrisset, methoposcopo major, & quasi recepto Deo ità vaticinatus est: Tu quoàd vives (ad alterum conversus inquit) non tàm ex vitæ merito, quàm errore hominum ad honores obrepes, exitu tamen infortunato, ac tristi. Te verò (alterum alloquens) humanarum vicissitudinum, inquiebat, superbior unda jactabit, duraque experieris hominum judicia, evades tamen ad litus, factusque senior imperandi dulcedinem paululùm degustabis. Constitit dicto fides. Ille enim cùm ad satietatem imperasset, tandem subitâ apoplexiâ miserabiliter oppressus interiit; hic verò cùm propemodùm invisus omnibus usque ad senectam vixisset inglorius, variantibus aliquando partium studiis ex æstu Comitiorum pudendo sanè fortunæ lusu Diffinitor renunciatus est, judicemque illum tribunal illud aspexit, ad quod non ità pridèm perditissimæ causæ peregerant reum. Non semel etiam communes nostri cœtus miserias vaticinando conquestus est, cum valentiùs solo pede percusso affore tempus inclamaret, quo nostrorum fœdissimè laberentur mores, unaque ad commune exitium propria triumpharet voluntas. An hactenùs nos hæc olim prævisa temporis iniquitas deprehenderit, nec ne, prudentiores judicium ferent. Sibi verò fatalem diem ità certò prævidit, ut tàm exactæ prædictionis exitum meritò mirentur omnes. Cùm enim ad S. Luciæ Faventiæ nostri Ordinis Monialibus summâ cum pietatis laude moderaretur, prædixit, se cœlesti pane refectum tali die, talique horâ, Johanne Evangelistâ Divo tutelari suo invitante, devocandum ad Cœlum. It ergo condictâ die, conficit sacrum, ex eoque reficit filias ad unam omnes, ipseque cœlesti alimoniâ satur, lætissimus se domum reci-

Augustinus Ghettinus spiritu Prophetiæ illustris: quod certissimis argumentis ostenditur.

recipit, ibìque de more ſedens ex divinis literis aliquid meditaturus, erectis in cœlum oculis feliciſſimè animam exhalavit, conditusque Faventiæ eſt in Monaſterio S. Mariæ ab Angelo, vir planè ſanctus, & qui inter ſuos ità virtutes contegeret, ut delirio, quàm ſanctimoniæ propior aliquando poſſet videri. Nam & dicteriis, ſalibuſque ſe divexari gaudebat, exhilaratáque ex inſperato interdum fronte, ſtultitiam ſimulabat, ut quaſi alter ille SALÒ novâ arte mundum deludens, ex ſubrepente inani gloriâ, virtutum quamminimam jacturam facere cogeretur. Haud ſatis recto, decoroque habitu corporis fuit. Singuli enim artus ad totius corporis ſtructuram concinnandam non ſatis conſenſiſſe videbantur. Siquidèm brachia ſe ſe protulerant longiùs, quàm humeros, pectuſque deceret; promiſſumque ventrem breviores coxæ regebant, pedum ſubjectâ baſi, quæ juſtam aliquantò menſuram excederet. Facies adeò illiberalis erat, ut Oſcum putares. Mentum quippe, genæque ſenticoſo inhorruerant pilo, atque inter denſa, incultaque ſupercilia, minùs lenis fulgurabat obtutus: cum interìm virtutum exemplum in ſe egregiè expreſſum unam ſaperet animi moderationem. Itaque qui ejus ſinè ullâ ſymmetriâ coëuntia membra cum moribus penſabant, tàm bonum hoſpitem, tàm malam domum incolere voluiſſe meritò ſe mirari dicebant.

Clemens VII. Monaſterium Faventinum Sanctæ Mariæ ab Angelo Monachis Ciſtercienſibus Septimianis benigniſſimè largitur.

Intereà vitâ functo Leone, quique ei ſuffectus fuerat, Adriano Pontifice non multò poſt è vita ſublato, cùm aliquandiù ſævis ſtudiorum vorticibus fluctuaſſet Comitium, Julius tandem Medices ſub nomine Clementis VII. ad Pontificatum evaſit; qui (ut Medicæum nomen Ciſtercienſibus nunquàm non favorabile fuit) octavo à ſuæ aſſumptionis die Monaſterium Sanctæ Mariæ ab Angelo Faventiæ contulit Septimianis. Locus abditæ, obſcuræque fundationis eſt, ideóque, ut arbitror, per-

pervetuſtæ. Poſt diligentem tamen, accuratamque inquiſitionem è noſtris nonnemo reperiebat, illic olim Fontis Avelliani Monachos domicilium habuiſſe; quibus ad Camaldulenſes abeuntibus, Cœnobium mutaſſe dominos, ùt Commendatariorum libido, variantiumque temporum viciſſitudo tulit: donec Septimiani tandem ſub Clemente VII. ſui juris fecerunt. Haud tamen vetuſtas, iniquitaſque temporum potuit ſuam loco adimere religionem. Conditorio enim Petri Damiani ſanctiſſimi, ac eloquentiſſimi Patris, ac patrocinio Deiparæ Virginis adhuc condecoratur. Senſère namque Faventini Cives utriuſque non ſemel præſentiſſimam opem, ſivè cùm bella ingruerent, ſivè cùm peſtilentiæ deſæviret teterrima lues: ſivè denique cum aliquid mali è proximo videretur impendêre.

Baſilius Lapius Monachus Ciſtercienſis Septimianus in Mathematicis diſciplinis exercitatiſſimus.

Non longè ab iis temporibus floruit Baſilius Lapius Septimianus, qui ſuo ævo Mathematicarum artium peritiâ nulli ſecundus fuit. Hujus meminit Jovius, ſuppreſſo, incertum quâ causâ, cucullo, lib.38. Hiſtoriarum ſui temporis. Hic ille eſt, qui Coſmi Medicæi parem geniture Horoſcopum cum Auguſto Cæſare, Quintoque Carolo ex ſyderum conjectatione deprehendit: quique multò ante, quàm à Laurentio Medice perpetraretur nefarium parricidium, eidem ingentis opulentiæ hereditatem vaticinatus eſt, evenitque quod dixerat. Siquidem paulò poſt verè vir ille magnus Hetruſcum imperium intulit in Medicæam domum; iiſque conſiliis, momentiſque ſtabilivit prudentiæ, ut nil ad æternitatem videatur fieri potuiſſe ſapientius. Baſilio parem in Theologicâ tamen facultate inſignem virum Severinum Maſſacconium illuſtrior nobilitaverat fama, qui majorum ſuorum gentilitia inſignia, utpotè ejus gentis poſtremus, magno tùm Monachorum, tùm Civium mœrore detulit ad ſepulchrum. Hunc itèm æquavit Hieronymus Magrezius vir nobilis, & ad quem ornan-

Severinus Maſſacconius Monachus Ciſtercienſis Septimianus multâ ſacrarum rerum lectione & eruditione ſpectatiſſimus.

Hieronymus Magrezius Monachus Ciſtercienſis Septimianus nobiliorum diſciplinarum ſcientiâ conſpicuus.

ornandum nobiliores artes conspiráſſe videbantur. His Johannem Bernardum adjungo Gualandium, hominem Græcè peritiſſimum, Græcorum illorum à puero nobilem alumnum, quos ſub excidium illius gentis Medicæi Principes munificentiſſimè aluerunt. Horum glorioſa veſtigia deinceps ſequutus eſt Thomas Mormorarius Aſtronomiæ ſcientiâ clarus. Nec ſuo tempore ceſſavit Juſtus Bupholottus Septimianus, quamvis obſcuro loco natus. Hic enim à Gallis ipſis accitus in utriúſque Siciliæ Regno Ciſtercienſem rem mirificè promovit, & auxit. Erant enim illius Regni commendata Monaſteria ferè omnia; itáque opibus, Monachiſque exhauſta, ut nihil fœdius, ſordidiuſve poſſet excogitari. Reſtituit igitur mores, Cœnobiorum fortunas adauxit, ampliorémque numerum aluit Monachorum, iiſdémque adeò ſalutares edixit leges, ut ſanctioribus moribus, diſciplinîſque imbuti Hetruſcorum exemplo ad vitæ normam, CONGREGANTIUM (ut nos vocant.) Siculi cum Calabris audeant aſpirare. Meminit Juſti Jacobus cognomento Græcus ejuſdem alumnus in ſuâ nuncupatoriâ ad vitam Joachim Florenſis Abbatis, quam ejus hortatu edidit luculentam, in quâ Juſtum *Religione conſpicuum, ac utriuſque Siciliæ memorabilem Præfectum* appellat. Huic tempori propior, variè literatorum in ſe admirationem traxit Gabriel Franciſcus Florentinus noſter Septimianus. Qui cùm ſeverioribus muſis politiorem prætuliſſet literaturam, eamque impenſiùs excoluiſſet; adeò in eâ exornandâ valuiſſe dicitur, ut nullus jàm eſſet, qui cum illo ad eam gloriæ metam concurrere auderet. Certè nullus Scriptorum, quos legerim, propiùs Areoſti veſtigia, ſivè facilitate, ſivè amœnitate dicendi ſequutus eſt, ac noſter Gabriel. Itá enim viri ſtylum imbiberat, itá ſcribendo retulerat; ut cùm Poetæ verſiculis ſuos mentis conceptus exordiretur explicare, ſuiſque demùm abſolveret, vix ferè eſſet, qui non ex

Johannes Bernardus Gualandius Monachus Ciſtercienſis Septimianus Græcis litteris eruditiſſimus.

Thomas Mormorarius Monachus Ciſtercienſis Septimianus perfectâ rerum Aſtronomicarum notitiâ decoratur.

Juſtus Bupholottus Monachus, Ciſtercienſis Septimianus rerum Ciſtercienſium in utriuſque Siciliæ Regnis reſtitutor, & promotor.

Juſti Bupholotti Monachi Septimiani utriuſque Siciliæ Ciſtercienſium Præfecti elogium.

Gabriel Franciſcus Florentinus Monachus Ciſtercienſis Septimianus politioris litteraturæ laude nulli ſibi coævo Scriptori ſecundus.

ex eádem officinâ haud ejusdem alioquin incudis carmina arbitraretur prodire. Satis rei, quam dico, luculentus testis est poëma illud, quod ex ternariis Areostocentonibus coalescit, in quo vesanum juvenem suos conquerentem errores eleganter inducit, cùm inquit:

Se 'l Sol si scosta, e lascia i giorni brevi,
Misero me, chi mi darà ricetto,
Da coprirmi dal freddo, e dalle nevi?

Ceterùm Gabrielem Hetruscæ Poësi, plusquàm par esset, addictum sivè cupido gloriæ, sivè communis abstulit error, ut amatoria scriberet. Nescio enim quo pacto fit, ut qui Hetruscè noverit, haud sibi sapere videatur, nisi, vel amet, vel se fingat amare, vel editis poëmatibus vesanæ juventuti turpitudines suas obtrudat. Quasi verò Hetrusca lingua post Græcam, Latinamque omnium locuples, ac suavissima non possit sacris accommodari; sed quasi adulterii comprehensa videatur virili togâ damnanda. Omninò apud istos vecordes, *Altaria frigent*. Ego ad istas nænias juvenis adhùc adeò nauseavi, ut quamquàm planè ridens Minerva, Hetruscumque cœlum ad hujusmodi Poësim me ducerent; virique docti tùm Florentiæ, tùm Romæ ad eam laudem me adhortarentur, invitarent; longiúsque progressus aliqua non temnenda monimenta ingenii in eo studio politissimis quibusque probassem: opportunè tamen retraxi pedem, in sacris commentationibus operam meliùs collocaturus, inque scholastico pulvere solidiori cum laude, & fructu exerturus vires ingenii. Tametsi verò Gabriel noster juvenili calore amatoria fuderit; in eo tamen, ita verecundè versatur, ut cum Francisco Petrarchâ in pangendis carminibus de moderatione videatur certare. Nisi fortè in eo peccet, quod eò accesserit propiùs, undè posset timeri piaculum. Haud siquidem facilè discusserit viscum turpioris cogitatus, qui in ancipiti, trepidoque labendi con-

Religiosissima, prudentissimaque Nicolai Baccetii Historiæ Septimianæ autoris digressio in eos, qui amatorios versus scribere non dubitant.

Ii finio

finio verſatur incautiùs. Exornabat autem hanc ejus variam literaturam ars organa, citharamque pulſandi, quam callebat mirificè. Ejus amœnis dotibus Aloyſius Ateſtinus ità dicitur delectatus, ut ad voluptatem aurium inter honorarios aulicos aliquandiù Gabrielem habuerit. Maluiſſem ego in clauſtris, atque ad Dei laudem. Etenim ſicut divina cantica pleno ore collaudo, ſic non poſſum non abominari ea, quæ amatoriâ veſaniâ ſordeſcunt. Animum quippè primùm trahunt ad levia, mox inconſtantiâ urgent, curioſitate deinde diſſolvunt, philogyniâ poſtremùm defœdant; quâ unâ graſſante, vidimus plures deſerviſſe clauſtra, repetiiſſe vomitum, ſibi exitium, ceteris, quorum erant aliquando dignati convictu, nunquam interiturum dedecus peperiſſe. Quo minùs jam miror Magnum illum Baſilium ejùſmodi Dæmonum cantica appellaſſe; ideóque obſeranda Cœnobiorum clauſtra, ne aliquo ſpecioſo prætextu interrumpant. Sicut enim Gaditana ſaltatio ab honeſtiſſimâ primùm, plenáque decoris exercitatione, in turpes, fractóſque corporis motus ſensìm degeneravit; ſic cantus, quanquàm honeſti, verendum eſt, ne cùm minùs oportuit, muliebriter animos frangant; expectorentque incautis omnem morum rigorem, apoſtaſiâ mentis inductâ, quam ad hujùſmodi levia deſidioſis interminatur Bernardus.

Profana, & amatoria cantica ſapientiſſimè Baccetius deteſtatur, necnon eorundem pericula elegantiſſimè deſcribit.

Baſilius Magnus ea, quæ amatoriâ turpitudine ſordeſcunt, cantica Dæmonum appellat.

Erat Gabrieli gracilior corporis habitus, os, oculi, ſupercilia, frons, quæ vividam indolem, atque aptam ad omnia proloquerentur. Fuiſſet proculdubio ſummus; ſi ſtudia ſeveriora excepiſſent adoleſcentem, neque citharæ, cantuſque molliùs ad jucundiora fregiſſent.

Intereà Septimiana res, injuriâ temporum, quà opibus, quà moribus deſtituta ſeverioribus cœpit labare, ſensìmque referri in pejus. Noſtri quippè in ea calamitoſa tempora inciderant, in quibus Solimanus Turcarum Rex poſt acceptam ad Viennam ſivè ignominiam, ſivè memorabi-

Septimianorum Monachorum ad mollitiem à primigenio rigore mores labuntur.

Temporum iniquitas præcipua apud Ciſtercienſes Septimianos labantis diſciplinæ cauſa.

rabilem cladem, totum penè Orientem exciverat, itàut cum Austriacis Fratribus, Carolo V., Ferdinandoque Rege Augustis, extra fines Pannoniæ de summâ Imperii videretur velle certare. Exhorruit Occidens penè totus ad triste nuncium, præcipuéque Germania, quam propiùs malum urgebat imminenti occursura periculo statìm in armis fuit; descripti undique milites, imperatæ pecuniæ, constrata classibus maria, portubus firmiora quæsita præsidia, sollicitatæ gentes, notæ felicitatis armati Duces, nova cum fœderatis, amicisque percussa fœdera. Tùm Clemens ipse Pontifex ad Cæsarianas partes accessit, quarum potentiâ, armisque dudum expugnatæ Patriæ in Mediceorum domum invexerat Principatum. Has autem quâ viâ, quâ vi foverit ad victoriam, unusquisque ex Paulo Jovio intelligere potuit.

In iis autem, qui nonnisi aut divenditis, aut oppignoratis prædiis, decumis persolvendis pares erant, Septimiani Cistercienses fuere; eò quidem majori incommodo, quò non multò ante à Florentinis inauspicatæ, ac jamjamque exspiraturæ libertatis jura tuentibus, similem aut etiam superbiorem exactionem toleraverant. Ut enim si in corpus recenti morbo tentatum, ex ægritudinis vixdùm detersæ reliquiis lenta febris insurgat, spem omnem salutis decumbentibus solet eripere; sic ex frequenti decumarum impositione, profanáque in sumtus belli solutione, Septimiano semel, & sæpiùs debilitato Cœnobio, recuperandi fortunas, implicitaque dissolvendi nomina, vires omnes deciderant. Ex eo itaque fœda facies rerum. Nostri siquidem duriores passìm adire Danistas; præcipiti consilio, vilique pretio fortunas profundere, sordidiores, voracesque condere census, omnia sursùm, deorsùm miscere, ut vel existimationem tutarentur ad tempus, vel decoctoris infame nomen deprecarentur.

Variæ apud Cistercienses Septimianos labantis disciplinæ causæ numerantur.

Ceterùm haùd diù potuit recularum nostrarum bre-

ve pallium, ſe ſe prodentis inopiæ fœditatem illam contegere; ſtatim ut unus vel alter creditorum noſtram tenuitatem ſubodoratus eſt, ſimul ferè omnes datum repetere inſtituerunt; eò quidem moleſtiùs, acerbiúſque, quò clariùs in dies gliſcens indigentia illa creditoribus metum incuſſerat amittendi, quæ dederant. Atque cum iis rei familiaris anguſtiis noſtri luctati ſunt uſque ad Pii V. Pont. Max. tempora: valuitque apud ſe poſitos habuiſſe viros, qui dicendo, agendoque præverterent dedecus, quod toti publicæ noſtræ rei videbatur imminere. Florebant ſiquidem per id tempus Malachias Foraſaxius, ac Cherubinus Salvaterra, par nobile Monachorum in Septimo, ille eloquentiâ, hic pietate in Deum, ac monaſticâ diſciplinâ inſignis, qui cùm non poſſent opibus; autoritate tamen, morumque reverentiâ, vel frangebant, vel ſaltem molliebant illos repetentium æſtus; donec prementibus aliquando creditoribus, eorundemque queſtibus Pontificio perſtrepente tribunali; ratio omnis ſolutionis arbitratu Pii V. Pontificis ad Benedictinum quendam, è familia Bonſignoriâ, virum egregium delata eſt. Quo agente, cùm nihil propiùs factum eſſet, quàm ut profanis licitatoribus illuſtre Ciſtelli Cœnobium addiceretur; Malachias, Cherubinuſque apud Coſmum Medicæum Magnum Hetruriæ Ducem, adeò gratioſi fuêre, ut in illorum favorem Princeps jam olim in noſtros egregiè animatus, præcipitem illam, exitioſamque repetitionem ad æquiorem ſolutionis rationem revocari mandârit. Itaque inter cetera, eaque maxima beneficia, quæ in nos Ciſtercienſes Medicæi Proceres contulerunt, hoc unum poſtremum, haùd in poſtremis poteſt haberi: Foraſaxium verò, ac Salvaterram inter noſtros tutelares Patronos adſcribet grata poſteritas, qui ſuâ autoritate, probitateque morum, uſque ad hæc noſtra tempora illuſtre nobis ſervârint Monaſterium, ad ſanctiorem vitam adoleſcentium Seminarium, domicilium diſciplinæ.

Malachias Foraſaxius, & Cherubinus Salvaterra inſignes Monachi Septimiani ægræ Ciſtercienſium Reipublicæ præſentiſſimũ remedium afferunt.

Coſmus Medicæus Magnus Hetruriæ Dux Primus ergà Ciſtercienſes Monachos munificentiſſimus.

Detonuit hæc, utcùnque procella; tametsi nihilo magis deinceps ditiores evaserint Cistercienses. Alebat enim egestatem illam, præter ceteras causas, quas suprà commemoravimus, publicam rem administrandi ratio, quæ apud Italos Cistercienses, qui nomine Congregationis censebantur, ità comparata erat, ut in singulos annos, modò ex Insubribus, ex Hetruscis modò eligeretur Præses, ceterique Prælati, statìm munere abituri, ut se se convolvisset annus, urnaque comitialis iterùm commiscuisset suffragia. Ex quibus dominandi angustiis fiebat, ut frequentiores illæ itiones, reditionesque in Provincias à Comitiis destinatas censum omnem Monasteriorum consumerent, quique ad annum Cœnobiis præficiebantur in rem presentem intenti, minùs futura curarent; quóque minus temporis suppetebat, eò acerbiùs, calentiúsque ad domesticum peculatum incumberent. Hæc inquam, administrandi ratio, inopiam illam auxisse, aluisseque visa est, æstumque illum furentis propemodùm ambitûs commovisse, quem utique ea sanctioris vitæ incommoda subsequuta sunt, quæ vix hactenùs eluctari posse videmur. Accidit tamen aliquando tempus, quo callidiores ad Præfecturam emersi, indutique communis commodi larvâ, se, remque communem, ut videri volebant, respicerent, pro annuâ, æternâ Præfecturâ inductâ. Salubrem ausum, tametsi multis difficultatibus septum adjuturus videbatur Moronus, qui Purpuratorum sapientissimus, per ea tempora Cisterciensibus moderabatur. Itaque apud eundem, præsentem rerum statum conquesti sunt, qui publicæ rei administrationem nuper susceperant; quorum prudentior in hunc ferè modum dicitur fuisse loquutus.

Eo libentiùs apud te modò (Morone sapientissime) orationis vela expedio, quòd pro communi jure mihi certandum est, quod hanc de quâ modò deliberamus, perpetuam Præfecturam invexit, usu comprobavit, atque ad

nos

nos usque incredibili commodo bonorum deduxit. Tametsi enim anceps, dubiumque argumentum plures ità ursère scribendo, ut dubium planè reliquerint utrius commoda, alterius incommodis præponderent, idque & timidè ipsi recenseant, & ægriùs ille, qui legerit videatur posse colligere: disciplinato tamen, atque ex usu bene instituto ingenio in expedito res est, perpetuæ scilicet Præfecturæ, præ temporariâ, palmare decus debere deferri. Grave judicium tuum si accedet ad partes, haud iterùm privatum, commune jus impunè castigare audebit, cùm in hoc plurimum insit æquitatis, in illo autem, quod usus ipse plerumque redarguat; si quid eæ, quæ è causa visceribus eruuntur rationes evincunt. Etenim, si creari, & iterùm premi Abbates possent à subditis, quis non videat in subditorum animis Superiorum sensim exoleturam Imperii majestatem, quod ideò timidè exercerent in eos à quibus propediem abeundi munere exspectarent arbitrium? Tum vicissitudo illa electionum, suoptè alioquìn ingenio furentem multorum ambitionem succenderet. Quæ ubi semel humanum pectus invasit, nil pium, nil sanctum ducit, dummodò quo jure, quâve injuriâ obrepat ad sedem. Deindè consuetudo ipsa, commune jus procursura pervicit, ut qui ad clavum in claustris sederent, perpetuò imperarent, Episcoporum, ceterorumque Præpositorum Ecclesiarum æmulaturi exemplum, quos semel ad id muneris ascitos, nullus deinceps ad privatum jus novus successor deturbat: ut hinc jam facilè videre sit, Euripum infamem illum frequentium electionum, & illa, superiùs commemorata, ebullire incommoda, & ex unà perpetuitate, quam recta ratio regat plures utilitates leniùs dimanare: ut cetera absint, ejus certè beneficio Rectores ex usu diuturniori prudentiores, publicique amantes evadunt, vetantque illâ suâ perseveranti munerum perfunctione, ne dignitas Præpositura in improbos cadat, armetque viribus

Gravissima ambitionis damna.

ribus

ribus suis temeritatem illorum, qui ambitu, vel errore hominum in eam succedunt.

Et iis quidem sivè rationibus, sivè conjecturis nobiliores Canonistæ pro perpetuitate depugnant, quas haud abnuo despici, contemni non secùs, ac olìm senem philosophum de suggestu militariter nescio quid ad laudem ingenii præcipientem Dux Carthaginensis derisit, si suis experientiæ destituantur momentis. Intuère in mores, consultissime Princeps, temporaria illa Præpositura, angustisque definita cancellis, illos corrupit, fœdissimèque infecit; dum, & qui præsunt desiturus mox Magistratus traducit; & qui subsunt, irrequieto motu illos torquet ambitio, donec in diù cupitam sedem tandem invadant. Rursùs in opes, fortunasque despectas, illa populabunda manus, quam turbulenta suffragia victricem renuntiàrunt, partìm diripuit, partìm ad comitiales illos, frequentesque discursus conducta jumenta, diversoriaque tabernæ voravit. Ecclesiasticus inde, divinusque cultus elanguit, quippè cui, nec animi perpetuam in seditionem versi pro dignitate sufficerent, nec posset foveri opibus, quas turpis, inconsultusque luxus exhausit. Etenim quid aliud medio illo inter Comitia tempore meditantur Monachi ignobili otio marcentes, quàm prædam, & domesticum peculatum, quo facti ditiores ambitioni suæ subservitura plura coëmant suffragia. Mitto murmurantium coronulas, seditiosa colloquia, cachinnos, dicteria, scommata, quibus, proh pudor, toto illo tempore claustra exsonant, quæ unam Dei laudem, solidarumque virtutum exercitium occupasse par erat. Ipse nosti, Princeps Morone, quas inde vel ad nauseam hauseris querimonias; quos plerumque tumultus sedasti; quantos in componendis Cistercienſium moribus exantlàris labores. Prudenti indagine fons ipse repertus est, undè noxiosissimæ factiones ebullierunt, obstruatur: exarmetur ambitus, inquam,

qui

qui quotannis populabundus dissensionis arma intentat; diuturniorem potestatem pati, & ferre addiscant, ut indè inquietos mores dediscant. Videbis inde pacatiores animos ejurare tumultus, publicæ litare concordiæ, nobiliores colere artes, interiori cultui intentiùs assuescere; cùm ad perpetuò ab aliis occupatam jam dignitatem, vel illos aspirare pigebit; vel diuturniori exspectatione frustrati aliis oblectamentis, & iis quidem magis homine dignis, vacuos animos cogentur implere. Nam quæ, quantaque indè futura sit fortunarum accessio, etiam me tacente, cujusque animus, qui à communi sensu non abhorreat, poterit augurari. Ut enim temporarii Abbates, quæ communis juris sunt, privatarum rationum amore cæcati, vel in se trahere solent injustè, vel mansura aliis maximo neglectu tractare; sic perpetuæ administrationi admotos amor, curaque subeat necesse est, ut commune commodum tanquam proprium sanctiori curâ perurgeant. Si qui autem aliquando reperti sunt, quos, publico neglecto, ad propria commoda turpior luxus detorserit; de numero illorum fuisse constat, qui cum uni Monasterio perpetuò essent affixi, ideòque haud superiores fasces, vel reverentur, vel timerent, facile illis fuit ex impotenti, diuturniorique dominatu, claustrales fortunas cum moribus traxisse ad casum. Modò verò res aliter constituta est. Jam in cœtum coivimus omnes, jam plura Monasteria invicem sibi dant manus. Jam unumquodque Cœnobium ità uni paret, obtemperat, ut iterùm simul omnes Monasteriorum Præfecti, unius Magistratûs (Regimen vocant) leges præstolentur, adorent. Undè fiet, ut qui modò uni, modò alteri, ditiori modò, modò tenuiori Monasterio ad Comitialium Patrum arbitrium sufficientur; & perpetui nomine tenùs habeantur Abbates, & re verâ temporarii sint: quippè quibus per triennium commutatio ipsa locorum videatur extortura tyrannidem.

Hu-

Hujùscemodi rerum ſtatus, ſi ſemel fuerit ſancitus in clauſtris; nullus jam arbitror, erit, qui vel communis juris vetuſtiſſimum, ſanctiſſimumque de perpetuitate morem deſideret, vel municipalium legum æquitatem de commutatione locorum conqueratur abeſſe. Saltèm ea ſanctio, tametſi cetera concedantur deeſſe, non abibit à Regulâ; in quâ ne verbum quidem collegeris unquàm, quo muneribus functi gravioribus, vel ad minora, vel ad privatum jus Monachorum jubeantur deſcendere. Quippè ab ortu legum, ipſis Legislatoribus, quaſi à naturâ inſitum ſederat, nonniſi imperandi, parendique aſſiduitate clauſtrale decus, dominiumque poſſe diù illibatum ſervari.

Dixerat ille; nec tamen adhùc Principis vultus in eam ſententiam inclinantis animi ſigna prodiderat. Quin gravitate illâ ſuâ Moronus ſupplices valdè ſuſpendit, inque ſe plenâ deinde conſultationis taciturnitate convertit: mox ſubridens leniter hilaritatis plenam frontem porrexit. *Et conjecturale*, inquiens, *argumentum eſt, non igitur mirum ſi pro utrâque parte, qui in illud viri docti, & graves hactenùs ſedulò incubuerunt magis philoſophandi causâ, atque ad laudem ingenii, quàm quòd ità reverâ ſentirent, expertique eſſent, viſi ſunt rationum aciem inſtruxiſſe. Quorum quidem conflictus non tàm de ſincerè victis agit triumphum, quàm ùt quiſque affectus eſt, ità ad illas partes accedit, quæ magis ob commodum, vitæque ſplendorem placuerunt, quàm quæ adhùc dubios, ſuſpenſoſque ſuâ vi rapere poſſe viderentur. Et quod ad me attinet, neuter mihi ſtatus improbatur; modò probi, benèque in publicam rem animati ſint, qui vel æternùm regnabunt, vel diſpenſatis laboribus invicèm ſibi ſuccedent. Sed quia hoc magis optandum, quàm ſperandum eſt; nulluſque jam reperitur, qui non liberè, verèque conſiteatur, ex legum ſtatùſque conditione, morum con-*

versionem plerùnque pendère, demùm is rerum status (cum utriusque commoda, incommodaque invicem contulerimus) præferendus erit, cui insint minora mala, commoda potiora secum vehat.

Ac primùm, si verum est, in unâ abdicatione rerum omnium, Religiosum statum contineri, itàut semel cucullato non liceat, nec ipsum corpus, nec voluntatem propriam, ne dùm cetera, quæ extra nos sunt, habere in potestate; jam ipsâ perpetuitate imperandi hujùsmodi status evertetur, cum iis, qui imperabunt, omnium, inque omnes nunquam desitura potestas asseretur. Tametsi autem pauciores futuri sunt, quos Oligarchia illa tollet ad sedem, plures verò, quos illa rerum omnium nuditas coërcebit; non ideò tamen indè efficietur, ut abdicatio illa in claustris sarta tecta servetur. Siquidem vulnus in eâ parte corporis, hoc est in capite, inflictum erit, undè mox sincerior pars pessimo exemplo trahatur. Ut non hæc fiant; at illud satis incommodi erit, pauciores impotentiùs, superbiùsque abuti dominio, quod, moderationis lege dictante, ad plures pertinere oportebat. Contrà, temporalitas illa dominandi ejùsmodi malum prudenti definitione temporis devitabit. Quis enim ut propriam, mox exuendam potestatem in ceteros exercebit? Cùmque abierit munere, aliisque idem subeundi fecerit locum, planè ostendet, omnibus commune esse, quod omnium suffragiis cuique obvenire posse constabit. Atque ità fiet, ut obtemperandi non dediscat ille virtutem, qui Præfecturæ fasces in alios mox sibi superiores futuros expediet. Nec mihi hìc temporariam illam imperii majestatem exoleturam, perpetuitati nimis addicti proclament. Quæro enim apud quos tandem dominium illud vilescet? Reponent namque, si sapiant, illis ipsis, quibus ad tempus imperabitur. Sed cùm iidem, ad ejùsmodi fastigium se mox sublevandos cogitabunt, ne ex aliorum despicientiâ, sibi deinceps subdito-

ditorum parent contemtum, sivè verâ, sivè simulatâ superioris potestatis reverentiâ illorum maximè cavere intererit; degenerique discusso timore, ex propiore aliorum contentione publicam rem viriliter promovere. Illud verendum potiùs, ne diuturnus, perpetuusque dominatus, ceterorum omnium incurrat invidiam, stimulanteque odio non modò contemtui pateat, sed exitio etiam. Etenim si hoc ipsum accidere solet, cùm concors cætus ex suo numero aliquem provexerit ad honores (quem tamen ut suum alioquìn fovisse oportuit) quid eventurum putatis, cùm sexviratûs censura multitudini propemodùm reluctanti Rectorem imponet?

Nam qui ex vicissitudine illâ electionum vehementiùs arsurum ambitum arbitrantur, quid demùm velint haud satis mihi videre videor. Siquidem præter quod ità naturâ comparatum est, ut ad vetita immoderatiùs anhelemus (quod ex unâ perpetuitate evenire necesse est) sedatiori verò animo præstolemur redituram felicitatem, (quæ temporariam illam Præposituram concomitabitur) ipsi subditi spem succedendi in munus, degeneri, abjectâque servitute in eos, qui tunc dominabuntur, præcipient, minoribusque interìm muneribus ambiendis, si ea tanquam ad majora, gradus, lege latâ constituantur, conatus suos omnes convertent: non cessantibus interìm iis, qui perpetuò Abbates erunt, quos subtilior torquebit ambitio, ut inter Præpositos digniori Præpositurâ, amplio rique censu ditentur. Quod ipsum ut assequantur, quibus vel precibus, vel promissis, vel etiam pecuniâ (quod absit) suffragia non coëment? Atque ità fiet, ut temporaria Præfectura non abscisso incommodo; ex perpetuâ, tanquam ex Hydrâ Lerneâ plura subindè malorum capita suboriantur. Nec ideò tamen me movet Episcoporum exemplum, cùm illorum status, status Prælationis, atque excellentiæ sit; horum verò humilitatis, atque abjectionis; itàut, si

quis perpetuò imperet, hunc evertat, illum etiam divexet acerbiùs, si antequàm vitâ fungatur, successorem accipiat. Jam prudentiam ampliorem, amoremque præcipuum in publicum, ut ex unâ perpetuitate dimanare posse non abnuam, haud video tamen, cur hâc ipsâ, & quidem æquè exactâ rerum gerendarum scientiâ, temporaria Præfectura claustri Rectores subornare non possit, ut scopulis, taniisque vitatis, in consiliis explicandis rectâ cursum instituant. Quippe, vel ex repetitis imperandi vicibus illam acquirent, vel ad exemplar aliorum sapient, vel ceteri sub quorum oculis imperabunt, non sinent eos à recto cursu deflectere, vel ad præfiniti temporis metam ità verecundè respicient, ut omninò nolint esse Tyranni. Quin illud etiam temporariæ commodi accedet, ut si probi illâ fungantur, propiora rectæ administrationis successuris relinquant vestigia: sin improbos praesse continget, devolutum ex lege tempus (nullâ apud contentiosum forum perstrepente lite) leniter illos munere abire jubebit. Demùm si sub temporariâ Præfecturâ prædabundus peculatus opes absumsit, omnia si in claustris irrequietus ambitus turbat, ac miscet; si murmurantium voces, à Regulâ jussum silentium jugulant; si factiosæ consultationes abrumpunt quietem; si denique concordes armant in prælia Fratres; non ideò tamen status moderationis plenissimus vituperandus est, quem spreta magis deseruère leges, quàm ipse ea mala invexerit, quæ memoratis. Dicatur lex, & quidem non ad speciem mox evanescentis timoris, quæ depopulatores mulctet infamiâ, vesanos ex ambitu coërceat; quæ munere functos superioris arbitri vocet ad calculos, trepidabunt, ni fallor, ex temporis angustiis, in fortunas, opesque invadere, res novas moliri, omnia demùm sursùm, deorsùm miscere. Nec tamen hoc ipsum abhorrebit à Regulâ, quæ tametsi nullum de successore ingerere verbum videatur, imbecillibus hoc

dedit

dedit initiis, in quibus diuturniùs unum regnare è Republicâ fore omninò censebatur, donec firmiores universo corpori vires accederent. Quibus cùm roboratus jàm valeat, ceteris sanè solemnis injuria fiat, si aliquibus perpetuò duratura deferatur potestas. Quid adhùc igitur commune jus, tanquàm eam fœditatem contecturum, obtenditis; cùm eidem non semel privata, ac municipales leges fecerint medicinam, eluerintque sordes, quæ mortalium indè dimanârunt in mores?

Hæc raptìm, ac stans Princeps Moronus effudit, non tanquàm perpetuæ Præfecturæ statum omninò improbaturus; sed ostensurus potiùs, quàm temporariam, tàm perpetuam de illarum numero esse, quæ, tametsi haùd ex se malæ sint, ex mortalium tamen usu, sivè bono, sivè malo, ità vel bonas, vel malas esse judicandas; ut est firmior corporis constitutio, ut divitiæ, ut decor, ut cetera hujusmodi quarum utilitatem illorum improbitas, qui utuntur, plerumque solet corrumpere, itàut incautis mortalibus invidiosa reddatur: ac proindè defæcatissimos mores, utrique statui, quicunque tandem eligatur, in claustris afferendos esse, ne administrationis momenta, aut in tyrannidem, aut in seditionis æstum degenerent.

Tàm temporariam, quàm perpetuam Præfecturam commoda & incommoda sua habere ex bonâ vel malâ Prælatorum administratione usu quotidiano comprobatur.

Cùm itaque ex vultu perorantis Moroni inter rationum pondera humanitatis quædam lux affulsisset, quæ supplicum spem videretur erigere; enixiùs illi versi in preces, Protectorem deprecabantur, ut in experimentum melioris redituri seculi, Monachos iterùm in claustris perpetuò pateretur præesse. Ipse, & quod à supplicibus commune tùm jus, tùm ceterorum Monachorum staret exemplum; quodque caput erat, jàm jàm exspiraturam temporariam Præfecturam, fortunarum, morumque aspectabiles ruinæ viderentur arguere; ne aliquid unquàm, quod speciem communis commodi præseferret, contemneret; capessit negotium, adit ad Pontificem, causam

ſam perorat, evincitque tandem, ut qui præficerentur, perpetuò onus adminiſtrationis ſubirent. Quam tamen imperandi rationem commutatione locorum mollivit, ne parituris diuturnius imperium amareſceret; neve ii, qui perpetuò imperarent, evaderent crudeliores?

Perpetua imperandi ratio, locorum commutatione mollitur.

Pontificium placitum evulgatum eſt (inconditâ nequicquàm reclamante multitudine) in Comitiis Romæ habitis in Monaſterio Trium Fontium anno MDLXXX., in quibus pleraque vel noviter procuſa ſunt, vel adaucta. Quæ quoniam, juſſu Diffinitorum Hilarion Rangonius poſteà, hoc eſt anno MDLXXXIX., Mediolani in unum volumen digeſſit, undè Ciſtercienſes ſibi præcepta vivendi deſumerent, teriturque ab omnibus noſtræ Congregationis hominibus, quibus candor Ordinis cordi eſt, atque curæ; ſupervacaneum duxi, ſi hic longiori narratione recenſerentur. Hic ille Hilarion Rangonius eſt, qui juvenis adhùc, adeò felici conatu ſcholaſtici pulveris metam percurrit, ut ad calcem ſtudiorum (Pici Mirandulani, quem literatorum Phœnicem ſuperius, doctiuſque ſeculum jactat, in eo ingentes auſus æmulatus) ad duo, & eo ampliùs millia philoſophicorum problematum propoſuerit defendenda; itàque repetitis congreſſibus defendit, ut Papienſis Academiæ Rectores ad profitendum ibidem philoſophiam, illum ſolicitàrint ex publico. Hanc autem in eo rerum maximarum ſcientiam, Muſarum amœniorum ſtudium extulerat ad miraculum. In quo quantum potuerit, luculenta illa Oratio de laudibus S. Hyacinthi non ità pridèm à Clemente VIII. in Beatorum album relati, habita Papiæ apud Dominicanos abundè teſtata eſt. Sed non modò ſtudioſis Italis ſuum in artibus probavit acumen; Ibericis etiam admirationi fuit. Quippè apud Populetum Ciſtercienſis Ordinis celeberrimum Monaſterium, quò purioris monaſticæ vitæ gratiâ ſe aliquando contulerat, & ſapienter docuit, & moderatè vixit, & ſanctiſ-

Hilarion Rangonius Monachus Ciſtercienſis pluſquàm duo millia problematum repetitis congreſſibus junior animosè, & eruditè defendit.

Laudatur Hilarion Rangonius Monachus Ciſtercienſis.

ctissimè diem clausit extremum. De quo quidem, illinc ad nos adeuntes solent mira narrare: quorum si certior fides ad nos contigisset afferri, ejusdem meritas laudes haùd hîc desiderasset grata posteritas.

Ceterùm cùm multa in Comitiis illis Romanis salubria, præclaraque sancita sint; tùm illud in primis lætâ, festáque acclamatione excepêre prudentes, quòd causarum Arbitri curam muliercularum à nostris opportunissimè absciderunt: curam utique plenam aleæ, atque periculi, sivè sexum garrulum, inquietum, atque ad amatoria proclivem spectes, sivè iterùm mortalium in illum penses favorem. Etenim dùm imbellibus, destitutisque auxilium ferimus, illæque vicissim auxiliaribus suis munusculorum vicem rependunt; piam illam, ac initio plerunque rigidam curam, mollior sensuum remissio enervat, ac frangit: itàut ad amatoriæ viscum priùs hæsisse te sentias, quàm primos assultus potueris eluctari. Indè invisendi gratiâ frequentes itiones, reditiones, anxiæ curæ, cogitationum morsus acerbior, zelotypiæ anxietas simillima, instabilitas mentis, molliora colloquia, amatorii joci, qui quominùs caveantur, efficit larvata libertas.

Mulierculrum plena aleæ, atque periculi cura opportunissimè in Comitiis Romanis anni 1580. à Cistercienfibus absciuditur.

Intereà Florentinum Cœnobium, Cistellum vocabant, suo ingressu, nuncupatisque votis nobilitaverat Horatius Aquaviva filius Atriensis Dynastæ: is qui posteà Episcopus Cajacensis renuntiatus tanto nihilominùs ardore animi Cisterciensem Ordinem, cujus erat alumnus, coluit, ut à fundamentis erexerit Monasterium, quò, statis diebus, ex ejus Ordinis instituto, munera obiturus secederet.

Horatius Aquaviva filius Ducis Atriensis Cistellum Florentinum illustre Monasterium ingressu suo, eximiisque virtutibus nobilitat.

In Romanis verò Comitiis, Monachum induit, jam triginta, & eo ampliùs natus annos, Philosophiæque Baccalaureus Marsilius Vasquez Toletanus, Florentinæ posteà universitatis insignis Theologus, ac S. Luciæ Stalis Abbas Cisterciensis; cujus copiosa manuscripta ad Ari-

Marsilius Vasquez Toletanus Abbas Ordinis Cisterciensis, & insignis Theologus laudatur.

Ariſtotelem, D. Thomam, Sacroboſcum adhùc in Ciſtellianâ Bibliothecâ viſuntur. Hic apud nos nobilia ingenia inſtituere aggreſſus, fructus tulit uberiores, ſubmovitque ingenuarum artium ignorantiam, quæ rude illud ſeculum fœdè infecerat. Certè mihi adeò adjumento fuit; ut ubertìm ſub ejus diſciplinâ philoſophicis hauſtis fontibus, Romæ deindè Theoſophiam, Gregorio de Valentiâ, Petro Arrubale, Didacoque Alvarez præceptoribus uſus, feliciori conatu ſum aſſecutus: itàut primus in hâc noſtrâ Hetruſcâ Congregatione de illius facultatis univerſis dogmatibus initi certaminis, in Romanâ publicâ Academiâ anno MDXCIX. lauream tulerim.

Ciſtellianam Bibliothecam Marſilius Vaſquez Toletanus ornat.

Verùm non modò feliciori proventu docuit Marſilius, ſed etiam ſtudioſæ in poſterum conſuluit poſteritati. Siquidem Bibliothecam Ciſtellianam ornavit, cupreſſinis ad parietem pluteis diſtinxit, eâque ratione veteres manuſcriptos codices, qui acervatìm ſitu, ſqualloreque marcebant, in gratiam ſtudioſorum ab injuriâ temporis vindicavit.

Lapſi ex eo duodecim anni erant adeò vacui argumento, ut niſi una Septimi cultior reſtauratio interceſſiſſet, perpetuo omninò ſilentio mihi viderentur tegendi. Quam tamen prudenti conſilio præſtabit ſupprimere, ne privatos, benéque nummatos Monachos, à quorum liberalitate profecta eſt, cogamur proprietatis criminis incuſare, ſi illos præpoſterè liberalitatis laudaremus, à quibus omnem, vel levem habendi cupidinis ſuſpicionem abeſſe decebat.

Monaſterium Montis Amiati antiquum ritum Abbates ſeligendi ad arbitrium Monachorum, quibus per triennium dumtaxat præſint; diù ſervat.

Intereà Paulo V. rebus humanis perfuncto, Gregorius XV. ſucceſſerat: jàmque indè Cœnobium Montis Amiati Hetruſcæ Congregationi Septimiani tentârant adjungere. Adhùc enim Monaſterium illud antiquo Ordinis ritu ſeorsùm rem ſuam agebat, atque ad arbitrium Monachorum ſeligebantur Abbates, qui per triennium

ce-

ceteris imperarent, munere ſtatìm abituri, ut præfinitum tempus ſe convolviſſet. Cui quidem adminiſtrandi rationi ſpecioſum libertatis titulum, ut re verâ inerat, obtendebant; niſi provectiores quique ut pluribus ſuffragiis ſuffulti erant, per orbem ſibi invicem ſuccedentes, ità Monaſterio præfuiſſent, ut ſimul privatis ſuis commodis ſtuderent impenſiùs; Gallis ad id conniventibus, quos ſedulò annua repræſentata pecunia, quam pro opibus cujuſque Cœnobii ab Italis Ciſtercienſibus, taxationis nomine exigebant, trahebat in partes. Cùm itaque ea vivendi ratio receſſiſſet è moribus, & tamen mordicùs adhùc ab Amiatinis retineretur: à Pontifice tandem edictum eſt, ut quæ Ordinis Ciſtercienſis ſeorsùm adminiſtrarentur Cœnobia, alicui Provinciarum, quæ tunc in Italiâ vigebant, adjungerentur. Celebrabant tunc per Italiam cum laude ejùſmodi cœtus, cùm Hetruſci, tùm Inſubres; eáque de re ſerò ſapuerant Calabri.

Gregorius XV. decernit, ut quæ Ordinis Ciſtercienſis ſeorsùm adminiſtrarentur Cœnobia, alicui provinciarum, quæ tunc in Italiâ vigebant, adjungerentur.

Amiatini ergo cùm vel Pontificium Romæ conarentur eluctari diploma; vel ſi parendum foret, ad ſuam illam antiquam libertatem tuendam, unam, illamque noviſſimam Calabrorum Provinciam proſpectarent; Antoninus Curradius tunc in Aulâ Romanâ noſtrarum cauſarum Orator contranitentium egregiè fregit conatus. Qui cùm deindè propiori Pontificis premerentur imperio, nec ſatis opis in Medicæorum invenirent favore; facile fuit, eiſdem Principibus ad omnem pietatem unicè animatis, annuentibus, illos tandem Septimianas leges ſubire. Prodiit in ejus rei favorem Pontificium diploma anno MDCXXII. Die XXV. Januarii. Cujus præſidio fultus, miſſuque Patrum Regiminis, idem Antoninus Curradius, qui in ejus acquiſitione ſtrenuè deſudaverat Romæ, eodem anno, die vero XI. menſis Maji, Amiatinum Monaſterium ſolemni ritu, Septimianæ juriſdictionis fecit.

Montis Amiati Monaſterium Septimianæ juriſdictioni ſubjicitur.

Monaſterium Jeſu Chriſto Salvatori dicatum adeò

Monasterii Montis Amiati brevis historia texitur.

pervetustum est, ut ipsius initia in Longobardorum Regum quempiam rejiciantur. Quis autem ille fuerit, Johannes Gobellinus in Commentariis Pii II. liquidò monstrat cum ait: *Vetustum hìc Monasterium jacet Salvatori Domino dedicatum, Templo, & Monachorum habitaculis egregiè structum. Rotharim Longobardorum Regem fundasse perhibent: & magnis donasse possessionibus*. Atque ut dicto magis astrueretur fides, post pauca subjungit: *Mille circiter, & quingentis passibus ab hoc Monasterio summitatem Amiatæ quærentibus vetus sacellum occurrit, in quo Reginam conditam tradunt, Rotharis, ut putant, Conjugem*. Ego, si quid in hâc re historica veritas valet, arbitror vel in Gobellianos Commentarios irrepsisse mendum, vel imperitum vulgus, à quo fortasse Gobellinus acceperat, dicendo, jactandoque germanum Fundatoris nomen mutasse. Rotharis enim is, ille est, qui à Gundebergâ Reginâ, earum commendatione virtutum, quæ Regno viderentur idoneæ, in sortem sceptri, torique vocatus, majori ope, quàm ad eam diem alius quisquam Arianam impietatem, Arianus ipse defendit, ac fovit: tantùm abest, ut Monachis ejus pestis acerrimis hostibus, domicilium, Templumque effusâ liberalitate parârit. Facile ergo fuit, Rachim transire in Rotharim, propter aliqualem illorum nominum affinitatem. Et Rachis quidem, si ulli munificæ illius fundationis laus, decusque debetur. Quanquàm enim, & ipse libidine proferendi Imperii, aliquando infestis armis Romanum Ducatum, Pontificisque ditionem vexasset; à Zachariâ tamen Pontifice verbis severioribus castigatus, itá belli consilia abjecit; ut ad ejusdem oscula pedum beatorum provolutus, nováque religione perfusus, sequenti anno, relicto Regno, cum uxore, ac filiâ lectissimâ virgine, ab eodem Pontifice in Monte Cassino monasticam vitam professurus cucullum acceperit.

Sivè

Sivè ergo cùm Romam pergeret, cœlitùs admonitus, Amiatinum Cœnobium construendum curavit; sivè jam Cassinensis effectus, indè deductâ coloniâ, ut Ordinis, quem colebat, fines amplificaret, in Amiatino Monte cum uxore haud procul monasticam vitam ducente, sedem sibi delegit. Huic, inquam, Rachis propter præcipuum Religionis studium, vitæque monasticæ amorem, tanti Monasterii exordium attribuendum videtur: tametsi eam munificentiam regiam, ne obscurè quidem Scriptores, quos legerim, jecerint in Commentarios.

Sed & perantiqua Amiatini Templi pictura nostræ narrationi maximè favet. Ibi enim ex arbore cum face Regi Rachis, ut inscribitur, se ostentat Salvator, tanquam rationem, modumque fundandi Cœnobii in genua provolutum Regem docturus. Denique quisquis ille mortalium fuit, qui inter fragrosa montium Salvatori Templum illud erexit, magno illum animo, eximiáque in Deum pietate fuisse oportet, qui monitis cœlestibus ad tantum opus meruerit excitari.

Et Monasterio quidem Amiatino imminet jugum, si unas Pistorienses Alpes excipias, ceteris celsius. Ad Occidentem Solem Thyrreni maris litus latè prospectat; eidem Ortus arduam, supinamque Radicofani Arcem objectat, in cujus subjectâ planitie Clanianis aquis amnis Palea seipso major effectus, Tyberim cum tributo adoraturus decurrit. S. Floræ Oppidum Sfortianorum Principum ditionis ad meridiem habet; certantque ad Septentrionem, quasi se prodere conspectanda, Pientia, multaque alia, cum Senis ipsis, non ignobilia ejusdem Civitatis ditionis Castella, quorum subjectam vallem furibundus amnis Urcia terit, limosum alicubi, ideóque malè fidum vadum Romam euntibus præbens. Ad summum verticem, cùm nubibus quandòque incubantibus, tùm inaccessis nemoribus mons totus inhorret: medium humano

victui commodior, proceraque castanea cingit: postremum vites, operáque mortalium consítæ arbores, arridentibus pratis, exornant. Ad medium, natura lætam, latamque explicavit planitiem, quam mille omninò passus circumdant. In eâ S. Salvatoris exsurgit Cœnobium quadrato, impolitoque lapide constructum, eo Architecturæ artificio, quod magis oculorum arbitrium, quàm perpendiculum ex arte dimetiatur. Rudioris item seculi Templum redolet operam, studiumque. Atria, quæ per distinctas cellulas fessis præbent quietem in quadrum satis decenter recurrunt, subjecto cavædio, cujus fornicem satis amplæ lapideæ columnæ suffulciunt. Qualecunque sit opus, si inculta nemorum spectes, non omninò temnendi ausûs videtur.

Ceterùm solum, quod adjacet principi Monasterii portæ, jam indè egestis sentibus, didicit tandem aratrum ferre, acceptique seminis cum fenore fructus proferre. Itaque ubi, mitescente cœlo, solutæ nives ad vallium ima decurrerint, cœperintque culmi ad palmum erecti minari, tùm è vicino Abbatiæ frequenti *Castello acies puellares* prorumpunt, noxiarum herbarum expugnaturæ protherviam. Cum verò, jam adultâ æstate, ventorum Etesiæ justis frugum agminibus indixerint bellum, factæque aridiores aristæ, minùs jam grave caput extulerint, sub diriori falce ad horrea ditanda procumbunt, plaudente messore, sibique quodámmodo gratulante felicioris, annuique proventûs victoriam. Reliquam tellurem, quæ circumstat Cœnobium, proceræ castaneæ inumbrant, eo inter se decenti intervallo disjunctæ, ut quod inter ipsas exstat herbidum solum pascendo pecori abundè sufficiat. Colludunt umbris perspicuæ promanantes aquæ, ut cùm eò perveneris, credas te in fabulosos illos, amœnosque Nympharum recessus, lascivientium quandòque Deorum amiliare secretum, penetrasse. Sed Poëtarum festiva natio,

tio, ut nemoribus suis mendacem famam conciliet, fabulas comminiscatur. Nobis interìm Amiatina juga fortunata liceat deprædicare, quæ Romanam Aulam cum Pontifice ipso Pio II., suâ ad se traxerint amœnitate; quæ publicis, privatisque consiliis interfuerint, quæ Purpuratorum Senatum suis incultis sedibus exceperint, legationes audierint, legum latarum conscia fuerint; ità ut si stirpibus, sentibusque aliquis sensus inesset, futurum erat, ut non modò Poëtarum nemoribus fictorum illorum Deorum recessus non inviderent, sed etiam præ Romano splendore, luxuque Amiatina tesqua suum illum gloriarentur horrorem. Sed quod jàm decus nemoribus illis non liceat gloriari, cum geminâ hactenùs majestate splendescant, alterâ Pii II., ut non semel dico, alterâ Ferdinandi II. Magni Hetruriæ Ducis? Is enim si quid illis potuit defuisse videri, suâ præsentiâ, majestateque cumulatè implevit. Siquidem cum annos pubertatis egressus trepidâ ægritudine cœpisset tentari, levandoque languori ad Philippæa Balnea properaret; ad Amiatinum Cœnobium ex itinere divertere placuit, tempore Eugenii Totti Florentini Abbatis, tantâ munificentiâ in populos, eáque in Monachos clementiæ laude, ut Monasterium illud singulari suæ felicitati adscribat, unicam spem Hetrusci Imperii, Principumque amores, obsequio, muneribus excolere potuisse.

Cœnobium Montis Amiati Pii II. Pontificis Maximi, & Ferdinandi II. Magni Hetruriæ Ducis præsentiâ nobilitatur.

Jam Cœnobium illud à suo exordio Cassinensis ditionis fuisse, nullus est, ut arbitror, qui possit ambigere; cùm per ea tempora non modò per Italiam, sed latè ad Occidentem Solem nulla alia monastica disciplina præter eam floreret. Jurisdictionis verò adeò amplæ, splendidæque fuisse affirmant; ut loci Abbates merum, mixtumque, ut vocant, imperium in pleraque circumadjecta Castella exercerent. Et eádem quidem civili potestate, nostri etiam Cistercienses potiti sunt, cùm anno MCCXXXII. donante

Montis Amiati Monasterii primi incolæ Monachi Cassinenses.

Monachorum Cœnobii Montis Amiati amplissima jurisdictio.

IX. Gre-

Monasterium Montis Amiati à Gregorio IX. Cistercienses accipiunt.

IX Gregorio, Monasterium illud in suum Ordinem cooptârunt. Sed cùm deindè ea tempora successissent, in quibus nil usitatius erat, nil familiarius, quàm aliena diripere; coactique demùm essent ceteri tenuiores Tyranni, qui per Hetruriam latrocinabantur veriùs, quàm imperitabant, vel Florentinorum, vel Senensium jugum accipere; indèque sumtis animis cùm ad periclitandas vires, tum ad proferendum Imperium uterque Populus assiduè in armis esset: Amiatini, sivè ignobilioris, marcentisque propemodùm Monachalis pertæsi imperii, sivè ex continentibus præliis spe prædæ illecti, sivè demùm in odium Florentinorum, Senensium vires aucturi, Abbatiali jugo excusso, ad Senenses deficiunt. Adhùc tamen exspirantis dominii imagine, spiritualique in pleraque Castella potestate Amiatinus Abbas condecoratur. Atque ejus Monasterii is status erat, cum Gregorius XV. annuentibus Medicæis Principibus, Hetruscæ Congregationi adjungi mandavit.

Adeò verò lenibus fœderibus cum noviter receptis actum est, ut hactenùs eos haud Septimianarum legum potuerit pœnitere.

Urbano VIII. postulante Monachi Cistercienses Florentini Cistellum vetus observantiæ domicilium deserunt: dolorem autem plerisque ingratæ desertionis lenit incredibilis ejusdem Summi Pontificis munificentia.

Ceterùm (ut tristitia jucundis solet Deus miscere mortalibus) haud diù læta ea celebris Monasterii accessio Septimianis Cistercensibus fuit. Siquidem non multo post, ut ipsi Amiatinos ad Congregantium jugum compulerant, sic ipsi è Cistello, vèteri observantiæ domicilio, pulcherrimoque Cœnobio ad Urbani VIII. Pont. Max. æquissima postulata demigrare coacti sunt, eorum quidem, qui tunc præerant, dubiâ, ancipitique prudentiæ famâ: tantâ autem Principum Barbarinorum munificentiæ laude, ut nobilissimi amissi Cœnobii in plerisque potuerit lenire dolorem. Etenim pro unius Cistelli pretio, & illius quidem nondùm absoluti Cœnobii; Monialium Monasterium, ad quas nostrum transferendum erat,

Spi-

Spinetumque propè Sarteanum nobile oppidum, non temnendi censûs sacerdotium Septimianis attribuerunt, additâ ingenti pecuniæ summâ, quæ numerosioribus, ac edacissimis censibus jugulandis, novoque construendo Cestello ejusdem pecuniæ annui fructus abundè sufficerent. Et Monasterii quidem Carmelitanæ temperationis Monialium ejùsmodi fuisse exordia, ejusdem loci antiquæ tabulæ tradunt.

Urbanus VIII. Pontifex Maximus Septimianis Monachis Spinetum largitur.

Anno MCCCCL., eximiæ tùm pietatis, tùm nobilitatis Florentiæ quatuor feminæ erant, Innocentia scilicet Bartola, Sara Lapaccina cum Magdalenâ filiâ lectissimâ virgine, & Anna Davanzatia. Quæ omnes ità in Deiparæ Virginis obsequium communi voto exarserant, ut seculi vanissimum cultum, cum Beatissimæ Virginis Carmelitanæ humili veste commutare studuerint. Itaque adeunt ad Carmelitas, commune votum exponunt, Innocentium ejus Provinciæ Præfectum, virum claustrali observantiæ clarum offendunt, qui non modò non refragatus est postulantibus, sed illud institutum apud Hetruscas, Italicasque feminas tum primùm fundaturus, gavisus est, repertas Florentiæ fuisse feminas, quibus ea instituti laus tutò committeretur; undè posteà in ceteras Provincias ad ampliorem pietatis cultum dimanaret. Itaque ab eodem Innocentio die B. Virgini in cœlum assumtæ sacro, anno MCCCCL. in Templo Carmelitarum, publico, solemnique ritu Deiparæ Virginis cultu, vesteque donatæ sunt; tantâ omnium Ordinum, sivè lætitiâ, sivè admiratione; ut indè (ùt posteà evenit) magnum pietatis incrementum toti Hetruriæ augurarentur mortales. Adhùc tamen nullum commune domicilium, eodem monachali cultu indutas exceperat; sed unaquæque domi suæ solitudinis sibi cancellos præscripserat, ibique divinum pensum persolvere, tusca vellera convolvere manibus, orationum instantiâ cœlum pulsare, frenare sensus, subdere rationi, rationemque

Cistelli Monasterii celeberrimi primordia, & progressus describuntur.

que ipſam ad divinum præceptorum cotem intentiùs expolire. Quæ perfectionis munia, tametſi ſingulari congreſſu poſſint urgeri, juvat tamen, ubi plurimorum exempla in virtutum ſtudio veniunt in contentionem. Etenim dùm ſingulariter, quamquàm ab omni contagione ſemotam vitam traducimus; vix poſſibile factu eſt, ut impetus ille, quo primordia ferè rerum vigent, & calent, tanquàm fundâ impellentis, rotâ ceſſante, ſemel, & iterùm non elangueſcat. Quod ipſum, cùm plurimùm Innocentia Bartola ſecum ipſa fuiſſet meditata; adjunctis ſibi duabus ſociis Mathæâ Chelliniâ, Coſáque Philippi virginibus ad omnem pietatem unicè factis, vitam communem excolere aggreſſa eſt. Neque præclarum facinus audentibus divina providentia defuit. Siquidem Andrea Bonarlia, multarum virtutum vidua, paternam domum monaſticam vitam profeſſuris liberaliſſimè dono dedit, ubi ſecluſis arbitris, inque mutuis aſpectibus orbitam perfectionis poſſent decurrere. Crevit interìm Monialium numerus ad duodecim, vel tredecim omninò, extenſiſque domicilii finibus, intrà quos monaſticæ vitæ munia poſſent impleri, de nomine Deiparæ Virginis, Angelorumque auſpicatò ſibi fecêre cognomen: Carmelitanis eiſdem Virginibus ſcribentibus leges, donec X. regnante Leone, earumdem adminiſtratio Clericis delata eſt; Pio deindè V. Leoninum approbante diploma. Cùm igitur earum Virginum bonus odor dimanaſſet in vulgum, omnibuſque Ordinibus admirationi eſſent; ex piorum largitate, iterùm Monaſterii protulêre fines, tanto flore, odoreque virtutum; ut ibi ad præſens ad octoginta primæ nobilitatis Virgines profiteantur. In quibus, ùt ſemper enituerint plures præcipuâ ſanctimoniæ laude præſtantes; tùm verò in primis Maria Magdalena Pazzia, nobiliſſima Virgo, miraculis, divinique amoris incendio exſtitit admiranda; itàut VIII. Urbanus Pont. Max. cum acclamatione fidelium ean-

Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis elogium.

eandem in album Beatorum retulerit. Cujus quidem beatitatis encomia non leviter redundant in Evangelistam de gente JUCUNDA virginem Florentinam, quæ Beatæ illi lac pietatis prima depromsit; quæ vitam illic ab omni labe proprietatis semotam ceteras excolere docuit; quæ sanctioris vitæ rigorem suo exemplo sustentavit, adauxit: quæ denique post omnium virtutum decora sanctissimè moriens ea perfectionis Christianæ reliquit vestigia, per quæ ceteræ illic reclusæ virgines gradientes, expeditum sibi in cœlum iter possunt parare.

At quàm pulchra est, Carmelitarum Virginum casta generatio cum claritate! Nobiles quippè penè omnes ad unam ibi perurgent divinum obsequium; itàut inter alumnas hoc tempore duas Urbani VIII. Pont. Max. neptes ex fratre filias, Mariam Gratiam, Innocentiamque Barberinas clarissimas virgines se glorientur habere. Quarum Innocentia natu major, cum puellarem deponeret cultum, cucullum demissionis indueret, eo præsagio Innocentia dicta est, ut primam illam Innocentiam Bartolam æmularetur, scilicèt, ut sicut illa, informis adhùc Monasterii jecerat fundamenta, sic per istam nobiliori schemate, absolutissimo, visendoque Cœnobio imponeretur fastigium. Nec sua præsagio defuit fides; quippè cùm in Hispaniâ, Galliáque trepidis perfunctus legationibus Franciscus Cardinalis Barberinus sorores invisurus Florentiæ, ad Monasterium illud divertisset, horruissetque ad angustias loci, illasque ratus haud decere virginum præsentem fortunam, de sororibus aliò tranferendis cœpit seriò agitare sermones. Illicò in Cistellum nostri Ordinis nobile Cœnobium, ex multorum delatione, injecti oculi. Locus in primis placebat, tùm quòd ab urbano strepitu remotior esse videretur; tùm quòd attiguas hinc indè Moniales haberet; quodque caput est, Fesulano, liberoque cœlo gauderet ad salubritatem. Accedebat commo-

da ædificiorum constructio, à Monialium usu haùdquaquàm abhorrens, implebantque apud Principem partes suas, locum approbantium officiosæ voces, ut Domini gratiam nullo suo dispendio colligerent suaviorem. Igitur post Florentiæ, Romæque agitata consilia, postulanti Pontifici, nostri venerabundi cessere: translatumque nostrum Cistellum est ad Moniales, tantâ in eas, inque nos Principum Barberinorum munificentiâ, ùt non semel dico, ut illam, nulla unqnam videatur deletura oblivio.

De Spineto non temnendi censûs sacerdotio Urbano VIII. Septimianis attributo pauca referuntur.

Jam quod attinet ad Spinetum, nomen ipsum, locum condemnat horroris. Et re verâ inter Spineta, nemoraque Monasterium illud fuisse aliquando constructum, ab illorum temporum consuetudine haùdquaquàm aberrat. Quippè persuasum ejus seculi hominibus erat, vix posse fieri, ut quis puriùs divinis rebus vacaret, idemque versaretur in turbâ. Itaque inter actuosam, & contemplatricem vitam per id tempus longum dissidium injectum est; itàut qui alienam provehebant salutem, contemplatricis vitæ fines raró attingerent: quosque à cetero populo divinorum amor seduxerat, vix aliud quicquam, quàm æstum illum mentis experirentur. Solitudines ergo, pleraque ejus temporis Monasteria occupaverant, Thebaitarum, Ægyptiorumque gloriam æmulatura. Et

Solitudinis laudes.

quidem quandiù institutum illud illibatum permansit, adamavitque solitudinem illam, piarum cogitationum altricem, virtutum alumnam, divinique timoris, ac vitæ purioris custodem, tandiù occulto quodam vigore Ecclesia valuit, sivè hæresum rebellantium procurrerent acies; sivè persecutionum rabies desæviret, sivè illecebræ voluptatum animos enervarent, sivè demùm defœdati mores, solidæ pietatis ruinam minitarentur. Quin indè illorum conatus, qui animorum curatores erant, evadebant robustiores, non secùs, ac alieno auxilio sublatæ in cœlum Moysi manus propugnatores Judaicæ gentis ad læ-

lætam victoriam provexêre. Existimaverim itaque eo consilio hujùsmodi Monasterium (cujus hoc tempore nullius aut lineæ, aut levis vestigii indagine, ubi, aut quantum fuerit, ne curiosi quidem possunt advertere) in solitudine, atque à frequentiâ procul fuisse fundatum: ac tandiù spineta, nemoraque sævientis ferri devitasse injurias, quandiù divinorum amor ex secreto coaluit. At cùm deinceps sensìm pietas deferbuisset; cœpit placere apricitas, vibrataque bipennis nemora submovit, ac spineta decîdit. His subindè aratrum successit, didicitque proscissa terra segetum ad lætum usque virorem jactatum semen fovere. Ditiores indè proventus; uberrima luxûs materies, facinorum fax, instrumentum cupiditatis. Quæ ubi demùm invidiosas opes paravit; perplures insidiatores invenit, quorum manus, ingluviemque haud diù potuit eluctari, quin in illorum aliquando veniret potestatem. Sicque factum est, ut pleraque in solitudine fundata Cœnobia in Commendatariorum cesserint ditionem. In quibus numerari potest Spinetum. Etenim à Julio III. Pont. Max. usque ad VIII. Urbanum, Sacerdotium illud in Nobilium gente Politianâ cum munificentiæ laude cohæsit: primusque Robertus Nobilis Cardinalis eâ fortassis commendâ sub Patruo Julio potitus est: adolescens pro pietate, quâ ergà Deum fervebat, planè dignus, qui amplioribus divitiis ad egenorum sublevandam pauperiem inspergeretur. Is ille Robertus est, qui ætatem omnium virtutum ornamento præcurrit adeò feliciter, ut Romanam purpuram priùs meruerit, quàm fuerit assecutus; priùs ex Christianâ demissione contemserit, quàm ex eâ vel minimum quid elationis retulerit. Cùm igitur sub purpurâ edomandæ carnis sæviora argumenta laterent, ægritudinum tandem confectus ærumnis, invictum spiritum exhalavit; cùm priùs in vitæ, mortisque confinio risisset, ac de mundo, de carne, de diabolo lætum trium-

Divitiæ confertæ malorum omnium varietate.

Robertus Nobilis Cardinalis laudatur.

phum egiſſet. Plura de Roberti virtutibus apud Garimbertum, alioſque, qui ejuſdem ſuis in ſcriptis cum laude meminerunt, ſtudioſi hiſtoriarum poterunt haurire. Ego quod ad noſtros Ciſtercienſes quoquòmodo ſpectare videtur, quodque de Catharinâ Nobili Sfortiâ, Roberto ſimillimâ ſorore,quam Romæ tempore Clementis VIII. officioſiſſimè colui, viciſſim ſtudioſè cultus ab illâ, accepi, libenter retulero.

Ajebat itaque,Robertum ſacrarum ſtudia literarum ità urgere fuiſſe ſolitum, ut nonniſi conſiliariis adhibitis Patribus, in earum abdita ſe penetraret. In iis autem Bernardum conſuluiſſe præcipuè, ſuaviſſimæ eloquentiæ hominem, cujus mellitâ oratione adeò tenebatur, proficiebatque; ut omnem ſanctimoniam vitæ indè ſe retuliſſe gloriaretur. Ex eo in gente Nobilium grata, ſuaviſque Bernardi memoria fuit, crevitque adeò cum Catharinâ Nobili Sfortiâ principe feminâ; ut jam provectæ ætatis, perpurgatis Diocletianis Thermis, ingenti animo, ſumtuque, operoſum, pulchrumqpe D. Bernardo Templum addito Monachorum ſatis decenti Cœnobio, prima Romæ in Quirinali ſtatuerit, conſecravitque. Ob quam pietatis, ac munificentiæ laudem, ut piorum omnium encomia meruit; ſic noſtram tenuitatem, cùm, fato urgente rebus humanis eximeretur, excivit, ut ſcripto panegyrico, & bonorum omnium luctum, mœroremque, & ejuſdem vitæ decora cum lacrymis proderemus.

Catharinæ Nobilis Sfortiæ Principis feminæ virtus eximia celebratur.

A Roberto Nobili, Aurelius item Nobilis (niſi Commendatariorum me planè ſeries fallit) illam Commendam obtinuit, quò diuturniùs, eò cenſûs illius, ditioniſque, cùm civilis, tùm ſpiritualis detrimento majori. Aurelius deinceps Nobilem Vidonem excepit: Vido Franciſcum Sfortiam Cardinalem, Catharinæ Nobilis Sfortiæ filium, qui in Nobilium gentem munificentiſſimè adhùc vivens, iterùm illam refudit, donec Nobilium

po-

postremo Abbate defuncto, ab Urbano VIII. Pont. Max. Francisco Cardinali Barberino nepoti fratris filio delata est, quo demùm cedente, in Cistercienſium ditionem Spinetani census cessere; tùm ob vetus Cistellum ad Moniales translatum, tùm ut illis opibus suffulti novo exædificando Cœnobio Septimiani pares essent. Cistercienſium autem primus Spineti Abbas renuntiatus est Ferdinandus Ughellus, qui modò Septimianorum Abbatum seriei calcem exornat, is ille, qui paulò ante Romæ inter doctos viros Pontificiam Ciacconii Historiam suis clarissimis additionibus illustravit, adauxit, quique modò prægrande, variegatumque de Episcopis Italiæ opus molitur, cùm priùs auspicatissimè huic nostræ Septimianæ Historiæ, haùd ignobilia fundamenta jecisset, quique demùm post Marsilium Vasquezium Toletanum novam Bibliothecam Cistellianam, æmulâ virtute, in gratiam studiosæ posteritatis dedicandam curavit. In quam non ità pridem Antoninus Curradius olim & ipse Septimianus Abbas, iteratâ liberalitate multa contulerat ornamenta.

Spineti primus à Cistercienſibus Abbas Ferdinandus Ughellus, qui jure ac merito vivens ab autore laudatur.

Ceterùm cave credas qui legis, autorem Spineti mihi per incuriam excidisse, narrationem potiùs simillimam fabulæ de Altobellâ Comitissâ Mojanæ Spineti fundatrice, quam à nescio quibus malè feriatis acceperam, censui funerandam silentio, donec, incompertis damnatis, possent certiora narrari.

Et hæc quidem hactenùs habui, quæ de Septimianis rebus historicè commemorarem. Quæ si ad aliquem usum vitæ prudenti consilio convertantur (ut finis historiæ postulat, ejusdemque studiosum addecere videtur) ùt tenuia, ùt modica sint; auguror futurum, ut in magnam exemplorum segetem olim excrescant.

FINIS SEPTIMIANÆ HISTORIÆ.

INDEX
RERUM MEMORABILIUM,
Locorum, & Perſonarum, quæ in hoc Opere continentur.

A

Jaco-

Ber-

C

G

H

S.Hie-

To-

In-

Se-

Vir-

FINIS.